




Narodna in univerzitetna knjižnica
v Ljubljani

138745








Kleine gewählte
Bibliothek
für
Seelsorger.

Eilsten Bandes
II. Theil.

Gilli,
bey Franz Joseph Jenko.

1795.



D. ZEGERI BERNARDI VAN-ESPEN

Celeberrimi Jurisconsulti Lovaniensis

IVS ECCLESIASTICVM

IN EPITOMEN REDACTVM

AC SVBJVNCTIS

BREVIBVS SENTENTIIS,

ATQVE

ARGVMENTIS STVDII PATRISTICI

INSTRVCTVM

A

Plurimum Reverendo, Religiosissimo atque Eximio

D. P. BENEDICTO OBERHAVSER,

I. V. D. Reverendissimi ac Celsissimi S. R. I. Principis
ac Archiepiscopi Salisburgensis Consiliario
ecclesiastico.

P A R S S E C U N D A.

Editio novissima et corredita.

C I L L E J A E,

apud Franciscum Josephum Jenko.

MDCCXCV.

138745

138745



9 1866
1950

Kr

030025530



D. VĀN-ESPEN.

IVS ECCLESIASTICVM.

P A R S. II.

D E R E B V S S A C R I S.

T I T V L V S I.

D e S a c r a m e n t i s.

C A P V T I.

D e S a c r a m e n t o r u m d e f i n i t i o n e , e t d i v i s i o n e .

1. Praeteritis diversit significationibus Sacramenti supereft in Decreto Gratiani ex sententiis S. Augustini collecta illa definitio Sacramenti: *Invisibilis gratiae visibilis forma.* Veteres enim exteriorum illum ritum formam, signumque dixerunt, donec saeculo XII. et XIII. ex Pripatetica Philosophia distinctio inter materiam, et formam Sacramentorum Scholasticis praefuerat. Refertur vetus definitio c. 32. D. 2. de Consecr.

2. Hodie a Theologis ad exemplum Catechismi Romani traditur communiter illa definitio Sacramenti, quod sit

invisibilis gratiae visibile signum ad nostram justificationem a Christo Domino institutum. Atque hujus definitionis ubiorem expositionem praestat Theologis relinquere.

Trid. sess. 3. Exortis Sacramentariis Concilium
7. de Sacr. Tridentinum definivit: *Si quis dixerit,
Sacmenta N. L. non fuisse omnia a Christo instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem -- aut etiam aliquod horum septem non esse vere, et proprie Sacmentum, anathema sit.*

c. 6. 4. Et infra: *Si quis dixerit, Sacra-
menta N. L. non continere gratiam, quam
significant, aut gratiam ipsam non po-
nentibus obicem non conferre, quasi
signa tantum externa sint acceptae per
fidem gratiae, vel justitiae, et notae
quaedam Christianae professionis, qui-
bus apud homines discernuntur fideles
ab infidelibus, anathema sit.*

c. 4. 5. Horum Sacmentorum alia nece-
saria, alia voluntaria dicuntur, utpote
necessaria dicuntur, quae sine salutis in-
territu praetermitti, et negligi nequeunt,
si haberi possint. Voluntaria censentur
Ordo, et matrimonium, quia pro cuius-
que arbitrio suscipi, aut omitti possunt.
Ait S. Synodus: *Si quis dixerit, Sacra-
menta N. L. non esse ad salutem nece-
saria, sed superflua; et sine eis, aut
eorum voto per solam fidem homines
a Deo gratiam justificationis adipisci,*

*licet omnia singulis necessaria non sint,
anathema sit.*

6. Inter illa Sacra menta alia sunt, quae iterari possunt, et alia, quae iterari non possunt, quia indelebilem characterem imprimunt, si vel semel valide percepta fuerint. S. Augustinus diversis olim rationibus, et exemplis indelebilatatem Baptismi evicit, quae recentioribus Interpretibus breves, et justas ideas characteris indelebilis suggesserant. c. 96. I. q. 1. c. 40. D. 4. de Conf.

7. Concilium Tridentinum diserte illa c. 9. Sacra menta explicat, quae characterem imprimunt. En Decretum, *si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine non imprimi characterem in anima, hoc est, signum indeleibile quoddam, et spirituale, unde ea iterari non possunt; anathema sit.* Et unde aequiores rationes hujus characteris explicare possemus, quam ex peculiari horum Sacramentorum effectu? Baptismus generatio spiritualis est, Confirmatio juvenilem vigorem tribuit. Presbyteratus instar senectutis est; ut ergo nemo bis generari, nemo bis adolescere, nemo bis senescere potest; ita et nemo bis baptizari, nemo bis confirmari, nemo bis ordinari, vel Presbyterari debet.

8. Argumentis juris novi decidit Pontifex, nec Ordinem Subdiaconatus (lege

Diaconatus) missa impositione manuum, esse iterandum, nec Confirmationis Sacramentum esse repetendum, si per errorem non chrysmate, sed oleo collatum fuit, quia sufficit caute suppleri, quod incaute fuerat praetermissum. c. 1. de Sacr. non iterand.

9. Excusavit Gregorius IX. defectum impositionis manuum *per contactum corporalem* in ordinatione Presbyteri, Diaconique, ut tamen caute suppleretur, quod per errorem extitit praetermissum. Ait Pontifex: *Suspensio autem manuum debet fieri, cum oratio super caput Ordinandi effunditur.* Enimvero Scholastici, ad quorum rationes Innocentius III. et Gregorius IX. videntur respexisse, manus impositionem et in ordinationibus Presbyteri, Diaconique ad solemnitatem ritus referre maluerunt. c. 3. ibi.

10. Sunt tamen et haec Sacra menta iteranda, si de eorum valore justus dubitandi sit locus. Statuit Synodus Carthaginensis V. de infantibus, quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per aetatem idonei de traditis fibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos: ne ista trepidatio eos faciat Sacramentorum purgatione privari. Refert Gratianus c. 3. D. 4. de Conf.

11. Veteri ergo jure simplici reiterationi locus fuit, quoniam non potest in reiterationis crimen venire, quod omnino certo factum esse nescitur. Vel ut alio loco: Conferentum eis absolute videtur, quod collatum esse certissimis testibus nescitur; quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis. Supersunt Decreta. c. 112. et 113. ibi.

12. Jure novo praescripta est conditio-
nata formula illis casibus. Alexandri III.
superest Decretum eo tenore: *De quibus
dubium est, an baptizati fuerint, bapti-
zantur his verbis praemissis: si baptiza-
tus es, non te baptizo: sed, si nondum
baptizatus es, ego te baptizo etc.* Refert.
c. 2. de Bapt.

13. Juxta Rituale Romanum cum Ba-
ptismum iterare nullo modo liceat,
siquis sub conditione sit baptizandus,
ea conditio explicanda est hoc modo:
si non es baptizatus, ego te baptizo
etc. In reliquis monet Rituale, nec hac
conditionali formula utendum esse pas-
sim, aut leviter, sed prudenter, et ubi
re diligenter pervestigata probabilis sub-
est dubitatio, infantem non fuisse bapti-
zatum.

Rit. Rom.
de Form.
Bapt.

14. Rituale Mechlinense censuit, pro-
babilem ordinarie esse dubitationem,
quando infans ab obstetricie baptizatus
dicitur, quia facile ab illa vel turbatione,

vel ignorantia erratur, ut aliquid essentiale omittatur, aut certissimi testes defint, qui fidem facere queant, Baptismum rite collatum fuisse.

15. Quum de Baptismo recentiorum haereticorum moveretur saepius quaestio, Concilium Rothomagense Ann. 1582. et Concilium Aquense Ann. 1583. ita decernunt: *Quia dubitabant non nulli de valore Baptismi, ab hujusmodi haereticis collati, eo quod non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum. Verum, quoniam illa formula baptizandi sub conditione fuit introducta propter baptismata occulta, et de quibus non apparebat, nec uni mulieri, seu alteri privatim baptizanti credi debet. Contra vero constabat, Calvinistas in caetu publico baptizare in forma verborum, et materia a Christo instituta nec de hoc facto ambigi poterat; vetamus ablutionem repeti cum quibuscumque verbis a Calvinismo, aut aliis haeresibus similiiter baptizantibus ad nostras Ecclesias transeuntibus, ne de Anabaptismo redarguamur.*

16. Ait Ann. 1583. Concilium Burdigalense: *Ecclesia nihil habet pretiosus, nihil ad salutem aeternam consequendam magis necessarium, quam a Christo septem instituta Sacra menta, quibus*

Conc.
n. 2.
Conc.
Rothom.
de Sacr.
Aqu. de
Sacr.
Bapt.

Cap. 2.
De Ritu
Admi-
nist. Sacr.
Conc.
Burdigal.
Tit. 8.
de Sacr.

*omnis justitia vel caepta augeatur, vel
amissa reparetur.*

17. Quid inde salubrius Concilii Narbonensis de ann. 1609. Decreto? Sit, inquit, *Parochus, ad quem administratio Sacramentorum specta, purus, et ab omni labe lethalis peccati alienus, ne, dum aliorum quaerit salutem, seipsum condemnnet, sibique aeternae damnationis sit minister, et illi dicatur a Deo: signa novi, Sacraenta approbo, gratiam largior; tu vero labiis, et corde pollutus quis es?*

Cone.
Narbon.
c. 13.
de Sacr.

18. Ut autem et populus ad suscipienda Sacraenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, praecipit S. Synodus Tridentina: *Ut non solum, cum haec per seipso erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent Episcopi, sed etiam idem a singulis Parochis pie, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus est, et commode fieri poterit, servari studeant.* Hoc exemplo Synodus Atrebatenfis mandat omnibus Pastoribus, *ut in Sacramentorum administratione semper aliquid adferant ad explicandam institutionem, et utilitatem Sacramenti; ex quo praesentes aedificationem aliquam capiant.* Quippe non modo suscipientium, sed et adstantium, praecipue in administratione Ba-

Trid. sess.
24. c. 7.
de Refor.

Synod.
Atreb. de
Sacr. c. 1.

ptismi, Viatici, et extremae Unctionis
ratio habenda est.

Synod.
Mechl.
Tit. 2,
c. 5.

19. Praecipit Synodus Mechlinensis
P. II. Ut Pastores ad administranda Sa-
cramenta vocati non tardent, graviter
alioqui puniendi, gravissime vero, si
quem ipsorum negligentia, sine Baptis-
mo, Confessione, sacro Viatico, aut
extrema Unctione, ex hac vita migrare
contigerit.

Trid. sess.
7. de Sa-
ceram.
c. 13.

20. Reliqua Decreta Ecclesiae passim
spectant, commendantque observantiam
caeremoniarum, in Ritualibus praescri-
ptarum, quas privato arbitrio, aut zelo
immutare, vel negligere haud licet. In-
quit Concilium Tridentinum; *Si quis*
dixerit receptos, et approbatos Ecclesiae
Catholicae ritus in solemini Sacra-
mentorum administratione adhiberi consue-
tos, aut contemni, aut sine peccato a
Ministris pro libitu omitti, aut in no-
vos alios per quemcunque Ecclesiarum
Pastorem mutari posse; anathema sit.
Enimvero si quid vitii injuria temporum,
vel hominum in Ritualia irrepsisse vi-
deatur, Episcoporum est, ea lustrare,
repurgareque.

21. Caeterum novo jure ordinaria Sa-
cramentorum administratio singulis Pa-
rochis in suis districtibus, et respectu
suum Parochianorum privative ad ex-
clusionem omnium aliorum inferiorum
Sacerdotum vindicatur. c. 12. de Paenit.

*et Remiss. Praecipit Synodus Tridentina
Episcopis, ut pro tutiore animarum eis
commissarum salute, distincto populo
in certas, propriasque Parochias uni-
cuique suum perpetuum, peculiarem-
que Parochum assignent, qui eas cognoscere
valeat, et a quo solo licite Sacra-
menta percipient.*

22. Inter recentiores caeremonias in Occidentali Ecclesia refertur et usus linguae latinae. Primis octo saeculis sat frequens fuit, quod Sacra, et Sacraenta patrio idiomate tum ad uberiorem instructionem, tum ad aedificationem populi celebrarentur. Hoc argumento excusavit B. Cyrillus, Apostolus gentis Sclavonicae quod et saeculo VIII. Sacra per vernaculum linquam traderet. *Scriptum est enim, ajebat, omnis linqua laudet Dominum, et si omnis spiritus laudando magnificat Dominum, cur me prohibetis sacrarum Missarum solemnia, et horarum sclavonice modulari? Siquidem, si quivissemus illi populo aliter aliquando cum caeteris Nationibus subvenire in linqua graeca, vel latina, omnino, quae reprehenditis, non sanxissem, sed quia Idiotas, et viarum Dei totaliter eos reperi ignatos, solum hoc ingenium almiflua Spiritus sancti gratia cordi meo inspiravit, per quod etiam innumerum populum Deo acquisivi. Quapropter Patres,*

Trid. sess.
24. c. 13.

Cap. 3.
De Idiom.

et Domini cogitate consultius, si institutionis meae normam hanc expediat immutari. Refert Bollandus.

23. Ioannes VIII. nec sub finem saeculi IX. ab usu patriae linquae abhorruit. Inde ad Comitem Moraviae (Suantopulkon) in haec verba rescripsit: *Nec sane fidei, vel doctrinae aliquid obstat, sive Missas in Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel Lectiones divinas veteris, et novi Testamenti bene translatas, et interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia psallere, quoniam, qui fecit tres linguas principales hebraeam scilicet, et graecam, et latinam, ipse creavit et omnes alias ad laudem, et gloriam suam.*

24. Gregorius VII. primus censetur, qui usum patrii idiomatis a Sacris prohibuit, ea ratione, quod Omnipotenti Deo placuerit sacram Scripturam quibusdam locis esse occultam, ne, si ad liquidum cunctis pateat, forte vilesceret, et subjaceret despectui, aut prave intellecta a mediocribus in errorem induceret.

25. En crisi D. Fleurii! Non moveor ratione, inquit, qua praetendunt varii moderni, veterem disciplinam recitandi divina officia lingua vulgari merito abrogatam esse ad conservandam reverentiam Religioni debitam; hae enim caeca reverentia non convenit, nisi fal-

Bolland.
ad 9.
Mart. in
act. sec.
p. 22.

Fleur.
Disc. 3.
n. 24.

sis religionibus, fundatis, super fabulis, et superstitionibus frivolis. Vera Religio tanto in majore pretio erit, quanto melius nota fuerit.

26. Fidem facit Papebrochius, Innocentium IV. etiam saeculo XIII. jus fecisse cuidam Episcopo, ut conformiter ad consuetudinem apud Sclavos receptam, divinum officium in lingua ibidem usitata recitaret, *eo quod sermo rei, et non res sermoni sit subjecta.*

27. Concilium Tridentinum damnatis privatis ausibus, aliisque obtentibus haeticorum, usum linguae latinae patrio idiomati praehabendum duxit, ita tamen, ut singulis Pastoribus praeceperit, quatenus frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis, quae in Missa aliisque Sacris leguntur, aliquid exponant — diebus praesertim Dominicis, et festivis.

28. Nihil est, quod homines a reverentia sanctorum Mysteriorum magis alienet, quam turpis quaestus Ministrorum. Querebatur saeculo XIII. Durandus, Episcopus Mimatensis, *quod sepulturae in multis locis vendantur, et in aliis pro Baptismo, Paenitentia, Eucharistia, et aliis Sacramentis ex pestifera quadam consuetudine pecunia recipiatur, et levetur. Neque prosunt remedia super hoc constituta, pro eo, quod multi ex majoribus Columnis, et Praelatis Ec-*

Dan.
Papebr. in
Conat.
Chron.
Hist. diff.
XIII.

Trid. fest.
22. de
Sacrif.
cap. 8. et
can. 9.

Cap. 4.
De Exact.
pro Sa-
cram.
Durand.
de mod.
Cone.
gen. ce-
leb. P. 2.
Rubr. 68.

elefiae in hoc peccant; et ideo, quia ab his male agitur, facile trahitur a subditis in exemplum.

Conc.
Aqua. Tit.
de Sacr.
Conc.
Aven.
Tit. II.

29. Recentius nonnulli obtentu paupertatis has exactiones excusare videbantur. Hac occasione et hunc titulum recentiores Synodi represeferant. Concilium Aquense Ann. 1585. Concilium Avenionense Ann. 1594. titulum egestatis diserte perstringunt. *Illud praeterea, inquiunt Patres Aquenses, diligenter caveant Parochi, omnesque alii, ad quos cuiusvis Sacramenti administratio spectat, ne pro illis administrandis abullo, vel omnium rerum inope Sacerdote, verbis, aut etiam signis quidquam prorsus vel minimum quovis modo petatur, exigaturve.*

30. Verum licet adeo severe Ministris in administrandis Sacramentis cuiusvis rei temporalis exactio prohibetur, Ecclesia tamen vult retinere oblationum usum, nec vetat voluntarie oblata accipere. Quinimo Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. *in cap. 42. de Simonia*, sicuti vetat a Ministris aliquid in Sacramentorum ministerio exigi, ita pariter vult laudabiles consuetudines aliquid offerendi a Laicis observari. Et Rituale Romanum Pauli V. postquam omnem exactiōem in Sacramentorum administratione proscripsit, immediate subjungit: *siquid vero no-*

mine eleemosynae, aut devotionis studio, peracto jam Sacramento a fidelibus sponte offeratur, id licite pro consuetudine locorum Minister accipere poterit.

31. *Enimvero et praestat veteres consuetudines etiam in via simplicis oblationis immutari, aut abrogari, si sequiori suspicioni, aut turpi quaestui locum facere videantur.* Ajebat in Concilio Bafileenzi Julianus Card.: *Nonne gratis offerre, et eleemosynam dare est pium, et charitatis opus; sed quoniam tempore Baptismi numeros projicere in concham pruetendebat speciem mali, emendari, et aboleri jussit Ecclesia.* Refert Eliberitani Concilii Decretum Gratianus c. 104. I. q. 1. Refert recentius et Glosfanus, S. Carolum vetuisse, ne Presbyteri quamcunque rem in administracione Sacmentorum acciperent, etiam sub obtentu eleemosynae, ut omnem occasionem, et notam avaritiae adimeret per exactam observantiam divini pracepti: *Gratis accepistiis, gratis date.*

Gloss. in
vit. S. Car.

32. In pluribus locis passim alibi sufficiunt et in via exactionis jura stolae, ut vocant, praestanda occasione quo-rundam Sacmentorum. Ast unde his juribus titulus? Direptis bonis Ecclesiarum Parochialium Pastores plures ex oblationibus, in Sacmentorum admi-

nistratione fieri consuetis, victitare co-
gebantur, quibus aliunde ad vitam a-
gendum nihil superesse videbatur, hinc-
que contigit, quod ipsa egestate com-
pellente, si non directe, et expresse in
Sacramentorum administratione, indi-
recte tamen, et tacite dandi necessitas
occasione quorundam Sacramentorum
infinuaretur; adeo, ut ipsis laicis quasi
persuasum fuerit, oblationes illas non
esse voluntarias sed necessarias, quia et
Episcoporum auctoritate definitae vide-
bantur. Concilium Coloniense Ann. 1536
Conc. Co-
lon. P. 8.
c. 2.

ita decernit: Certa, ac competens sub-
ministratio victus, et vestitus fiat, *id-*
que ad eum modum, ne in administran-
dis Sacramentis quidpiam exigendo o-
neri sint Parochianis, aut cibum vica-
tim discurrendo emendicare cogantur,
quo nihil turpius, aut sordidius.

c. 7. 33. Et infra: *Laudabiles consuetu-*
dines in civitate Coloniensi pro Paro-
chorum sustentatione, per viam taxa-
tionis introductae observentur, donec
ipsis Parochis de victu magis sufficiente
fuerit provisum: Haec jura videntur in
compensationem Decimarum persona-
lium successisse, tenenturque Ecclesiae
Ministri in illorum jurium, et oblatio-
num receptione, et petitione eam sal-
tem servare modestiam, et circumspe-
ctionem, ne avaritiae, turpisque qua-
estus notam incurraut, qua ipsis apud

Laicos ministerium vituperetur, et Sacramentorum, aliorumque Sacrorum usus vilescat.

* 34. Procul dubio et consultissimum foret, ut, missis illis juribus, necessitati inopum Pastorum aliunde provideatur, vel per collationem Decimatorum, qui proventus Parochiales suos fecerunt, vel per census, et pensiones aliarum Ecclesiarum, quae uberioribus redditibus abundant. Juxta sententiam S. Apostoli: *In praesentitempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat; ut et illorum abundantia vestrae inopiae sit supplementum, ut fiat aequalitas, sicut scriptum est: qui multum, non abundavit, et qui modicum, non minoravit.*

II. Cor. 8,

* 31. Inter haec, aliaque argumenta, quid ad rem sanctioris disciplinae salubrius facit, quam sententias Patrum, quae omnem turpem quaestum, speciemque mali a sacro ministerio Sacramentorum rejiciunt, saepius relegere? Ait Christus Dominus diserte: *Gratis accepistis, gratis date.* En Decretum Concilii Trullani! *Ut nullus sive Episcopus, sive Presbyter, sive Diaconus — ejus participationis gratia, obolos, vel quamvis aliam speciem exigat: non est enim venalis gratia, nec pro pecuniis spiritus sanctificationem impartimur, sed ea iis, qui digni sunt, abs-*

Matth. 10.

Conc.
Trull.
c. 23.

que ulla est calliditate communicanda; si quis vero — exigere visus fuerit, deponatur, ut simoniaci erroris, et maleficii aemulator. S. Gelasius decernit: Quoniam, quod gratis accepimus, gratis dare mandamur, et ideo nihil prorsus a praedictis occasione cujuscunque Sacri exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti, vel indignatione revocati, redemptionis suae causas adire despiciant. Quid concilii Moguntini de ann. 1549. Decreto aequius? Execrabilis, inquit, quorundam Sacerdotum avaritia usque ad Sacramentorum ipsorum contemptum, et injuriam nonnunquam irrumpit, dum sine numerato pretio conferre Sacra menta detrectant. Quorum pravam cupiditatem, sacris etiam Conciliis invisam, et damnatam comprimere volentes, omnibus nobis subjectis Parochis, seu Ecclesiarum Ministris serio prohibemus, ne quid de Sacramentorum administratione, vel ante, vel post, a quoquam velut debitum aut exigant, aut recipiant — sed ultro etiam id oblatum, quasi non debitum modeste recusent. Inquit Ann. 1609. Synodus Narbonensis: Ad haec noverint Rectores animarum, cum Sacra menta sint dona Dei liberaliter, et gratis concessa, non solum sine labe simoniae, verum etiam sine avaritiae suspicione esse exhibenda.

Juxta

S. Gelas.
ep. ad
Episc Lu-
can. c. 3.

Conc. Mo-
gunt.
Tit. 92. c.
ad mores.

Synod.
Narb.
c. 13.

Juxta Decretum Concilii Mediolanensis I.
Cum Sacra menta Ecclesiae non solum
sine simoniae labe, verum etiam sine a-
varitiae suspicione praebenda sint, ca-
veant omnes, ne in eorum administra-
tione, quidquam exigant, aut etiam
verbis, vel signis directe, vel indire-
cte prodant.

Conc Me-
diol. Tit.
de iis,
quae ad
Sacr.
Adm.

TITVLVS II.

D e B a p t i s m o.

CAPVT I.

De Baptismi Necessitate. etc.

1. Pronuntiat in Evangelio Dominus, Joann. 3.
Matth. 28.
*nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spi-
ritu sancto, non potest introire in re-
gnum Dei.* Et alibi: *Euntes docete o-
mnes gentes, baptizantes eos in no-
mine Patris, et Filii, et Spiritus san-
cti.*

2. Iude Baptismus Sacramentum re-
generationis, per quod in adoptionem
Filiorum Dei transire oportet, dicitur.
Repprescit Synodus Tridentina recentio-
rum haereticorum errorem, qui obten-
debant, *Baptismum esse liberum, hoc
est non necessarium ad salutem.*

3. In Capitularibus Regum Fran-
cum Decretum est. *Si Presbyter ordi-
natus deprehenderit, se non esse bapti-*
Van-Espen J. Eccl. P. II.

Trid. sess.
7. deBapt.
c. 5.
Capit.
lib. 6.
c. 94.

xatum, baptizetur, et ordinetur iterum. Gratianus hanc sententiam Concilio Compendiensi supposuit. c. 60. I. q. 1.

4. Sic et Innocentius III. decidit, Presbyteri, qui se comperit non esse in legitima forma baptizatum, ordinacionem suscepto Baptismate iterandam esse, quia non intelligitur esse iteratum, quod ambigitur esse factum. c. 3. *de Presb. non Bapt.*

5. Bonifacius VIII. diserte declarat, Baptismum esse fundamentum, et januam reliquorum Sacramentorum. Quia instar cuiusdam generationis non potest non esse principium reliquorum remediorum. c. 2. *de Cognat. Spirit. in 6.*

6. Supereft nobis ex Innocentii III. Decretali argumentum praesumptionis, quod de illo, qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, adeo dubitandum non sit, eum fuisse baptizatum, ut haec praesumptio pro certitudine fit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur. c. 3. *de Presb. non Bapt.*

7. In reliquis argumentis tum veteris, tum novi juris triplex Baptismus in ordine ad consequendam salutem distinguatur; utpote Baptismus fluminis, flaminis, et sanguinis. Veteres sententias S. Augustini Gratianus in suo Decreto reliquit. c. 34. et 37. D. 4. *de Conf.*

8. His argumentis rescripsit Innocentius III. Cremonensi Episcopo, ut pro Presbytero, defuncto sine unda Baptismatis, in Ecclesia pia suffragia fierent, quia in S. Matris Ecclesiae fide, et Christi nominis confessione perseverasset, ut de Baptismo flaminis juxta sententias Patrum nullus dubitare posset. *c. 2. de Presb. non Bapt.*

9. Suffragatur Baptismus flaminis, et sanguinis ad salutem, si Sacramentum Baptismi per aquam haberi non possit. Quippe Baptismus fluminis est verum Sacramentum regenerationis. Ait Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit, aquam veram, et naturalem non esse de necessitate — anathema sit.*

Trid. sess.
7. de Bapt.
c. 2.

10. Repressit Innocentius III. eos, qui quondam parvulos, quos in articulo mortis propter aquae penuriam, et Sacerdotis absentiam aliquorum simplicitas salivae Consperione liniverat, legitime baptizatos existimabant. *c. 5. de Bapt.*

11. Novo jure praescripsit Alexander III., ut Baptismus aquae per illam formulam administraretur: *Ego baptizo te in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; utpote, ut actus, qui per Ministrum exercetur, sufficienter exprimeretur. c. 1. de Bapt.*

Jacob.
Goar.
p. 355.

12. Atque haec est formula latinae Ecclesiae, quae in Sacramentario S. Gregorii supereft. Graeci utuntur formula: *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc, et semper, et in saecula saeculorum. Amen.* Probavit et hanc formam veluti sufficientem Eugenius IV. in Decreto unionis pro Armenis.

s. Cypr.
ep. 75.

13. Veteri more ritus immersionis in utraque Ecclesia fere communis fuit, ut affusio nonnisi extra ordinem recepta videretur. *Unde apparet, inquit S. Cyprianus, aspersio quoque aquae instar lavaci salutaris obtinere.* Superetus immersionis ritus adhuc in Ecclesia graeca. In Ecclesia latina monet Rituale Romanum Pauli V., singularum Ecclesiarum consuetudinem esse retinendam, ut tamen et per affusionem, vel aspersio tam notabilis quantitas aquae corpus baptizandi contingat, quantum opus est, ut vera ablutio censeri posset.

15. Rituale Romanum praecipit, aquam super caput affundi, in quantum fieri potest. *Nemo, inquit, in utero matris clausus baptizari debet. Sed, si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite; nec postea, si vivus evaserit, iterum erit baptizandus: At si aliud membrum emergerit, quod vitalem indicet mo-*

tum, in illo, si periculum immineat, baptizetur, et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus. — Si vero ita baptizatus mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

15. Refert Jacobus Goar, in Ecclesia graeca, quoad observare licuit, puerum sedentem in pelvi, ad cubitum profunda, ter superinfusa non modicae quantitatis aqua calida purificat; vel certe ne aquae copia obruatur, et nimium forte epotet, primum positum, et sinistra in ventre sustentatum Sacerdos capite, et toto corpore salutaribus aquis abluit, et lustrat.

17. Juxta Canones Apostolorum triuna immersio praescripta est c. 79. Alii aliquando una mersio placuit, c. 82. Ex sententia S. Gregorii de trina, vel una mersione baptismatis nihil verius responderi potest, quam quod in una fide nihil officit sanctae Ecclesiae consuetudo diversa. c. 80. D. 4. de Conf.

18. Recentioribus saeculis inter Episcopum Claromontanum Pontium, et Thomam Episcopum Tornacensem exarsit controversia, an baptismus collatus simpliciter per verba: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* validus esset? Contendebat Thomas, reliqua verba: *Ego te baptizo*, nec in Evangelio praescripta esse, nec in san-

Supr.

Capt. 2.
De Form.
Bapt.

Etis Patribus expressa reperiri, in reliquis persuasus, ut hanc clausulam, quae a baptizantibus debet, et solet dici, scilicet: *Ego te baptizo venerandam esse, et observandam, cum mater Ecclesia, inquit, sic induxit, ut esset de solemnitate ministerii, non de substantia Sacramenti etc.*

19. Novo jure Baptismus sub hac formula: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti collatus declaratur invalidus, si baptizans, sive Sacerdos, sive Laicus, non expresserit: Ego te baptizo, ut actum ministerialem innuat. c. i. de Bapt.*

20. Jure veteri Episcopus Baptismi proprius Minister habebatur. Ait Tertullianus: *Dandi Baptismi jus habet summus Sacerdos, qui est Episcopus; dehinc Presbyteri, et Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate.* Et S. Hieronymus: *Sine Chrysante, et Episcopi iussione neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi.*

21. Saeculo VII. Synodus Veronensis decernit: *ut omnes Presbyteri, qui in Parochiis sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, et de eorum ordine nullus Presbyter praesumat in illa Parochia baptizare, vel Missas celebrare fine iussione Episcopi.*

22. Novo jure Presbyteros titulum curiae ab Episcopo impetrare oportet,

Cap. 3.
De Minist.
Bapt.
Tertul. de
Bapt.
c. 16.
S. Hier.
adv. Lu-
cifer.

Conc.
Veron.
c. 8.

qua adepta jus Parochis perpetuum, et proprium obtingit, in suis Parochiis suos Parochianos baptizandi, ut ab Episcopo citra justam causam prohiberi nequeant. Juxta Pontificale Romanum Pauli V. *legitimus Baptismi pro sua Parochia Minister est Parochus, vel alias Sacerdos a Parocho, vel Ordinario delegatus.*

23. Presbyteris, et Diaconis in ipsa Ordinationum formula assignatur officium, si Parochus, vel Ordinarius concesserit, solemnis Baptismi. Supereft sub nomine Hormisdae vetus Decretalis eo tenore: *Si quis baptizaverit, aut aliquot divinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abjiciatur, et nunquam ordinetur.* Refert. c. 1. de Cler. non Ordin. minist.

24. Urgente casu necessitatis, et sine caeremoniis defectu Clericorum Laici quoque recte baptizant. Juxta Tertullianum enim *quod ex aequo accipitur, ex aequo dari potest;* Sententiam S. Augustini refert Gratianus c. 21. D. 4. de Conf.

Tertul.
supr. c. 17.

25. Decernit Concilium Eliberitanum, *peregre navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum Catechumenum.*

Conc.
Elib. c. 38.

Utpote ut ex multis Laicis praeferatur ille, qui poenitens, aut bigamus non fit.

26. Concilium Carthaginense IV. vetat mulieres conferre Baptismum, utpote publicum, et solemnem, atque extra casum necessitatis. c. 20. D. 4. de Conf. Et ibi Gratianus, qui et observat, in causa necessitatis et foeminas baptizare posse juxta Decretum Urbani. c. 4. XXX. q. 3.

27. De Baptismo haereticorum inter S. Cyprianum, et S. Stephanum olim grandis controversia emersit. In Decreto Gratiani supersunt rationes S. Cypriani c. 20 I. q. 1. Vicit has progreßu temoris sententia S. Stephani, quam suam veluti jam decisam fecit S. Augustinus c. 28. 29. et 34. D. 4. de Conf.

S. August. 28. De Baptismo, quem infidelis.
L. 2. vel Judaeus contulit suo aevo et S. Au-
contr. gustinus dubius haesit. Saeculo IX. et
Parmen. hanc quaestionem decidit Nicolaus I. ad
e. 13: consulta Bulgarorum rescribens, reba-
ptizationi locum haud esse. c. 24. D. 4.
de Conf.

29. Hinc passim omnia Ritualia, et Pastoralia recentioris aevi monent, quemlibet hominem in casu necessitatis Baptismi Ministrum esse; quod si plures, qui baptizare possunt, adsint, illi ordini Rituale Romanum locum fa-
cit, ut, si adsit Sacerdos, Diacono

praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico, et vir faeminae; nisi pudoris gratia deceat faeminam potius, quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi faemina sciret formam, et modum baptizandi.

30. Quum veteri more solemnis Baptismus pene solis Episcopis reservaretur, fere in sola Ecclesia Cathedrali, vel certe baptisterio illi coniuncto publicus Baptismus administrabatur, donec aucto fidelium numero etiam in una, eademque civitate plura baptisteria in principalioribus Ecclesiis construi oportet. Quae inde sunt Baptismales ad differentiam aliarum Parochiarum, quae Baptisterio destituebantur, dictae. c. 54. et 55. XVI. q. 1.

31. Hoc exemplo quondam solis Plebaniis ruri obtigerant Baptisteria, donec labentibus saeculis passim omnes Parochias baptisteriis instrui contigerit. Novo jure necesse fuit vetare, ne quis de caetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, praeteritis Ecclesiis, in quibus sunt fontes baptismales speci-aliter deputati, aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, Liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam ne-queat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi) andeat ba-ptizare. Clem. un. de Bapt.

32. In Decreto Gratiani supersunt reliquae veteres auctoritates, quae solemnni Baptismo solas illas duas vigilias Paschatis videlicet, et Pentecostes arte praescribunt. Quippe alio tempore, nisi necessitatis, infirmitatis. alteriusque periculi causa, nec infantes baptizare liceat. c. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. D. 4. de Conf.

33. Supereft hodie veteris juris vestigium, quod illis diebus Baptisteria consecrentur, seu restaurantur. Caeterum invaluit, quod, postquam fere soli infantes baptizentur, omni die, et hora Baptismus etiam solemniter conferatur.

34. In quotidiano illo usu baptizandi parvulos et plerique reliqui veteres ritus in caeremonias desierunt, nam olim, quia frequenter Pagani in adultiore aetate ad Baptismum recipiebantur, protractior processus fuit, ut Baptismo donari merebantur. Quippe quondam per tres, aut quatuor classes, quas Stationes dixerent, transiendum erat, ut justus discretae probationi locus daretur.

35. Prima statio dicta est Audientium, quia tum privatim, tum publice de Religionis mysteriis per praelectionem Scripturarum instruebantur: si justam fidem fecissent, quod veritatis amore moverentur. Ait B. Augustinus: *Si enim aliquod commodum expectando ab ho-*

Cap. 4.
De rel.
Rit. Bapt.

S. Aug.
de Catech.
Rud. c. 5.

minibus, quibus se aliter placitum non putat, aut aliquod ab hominibus incommodum devitando, quorum offenditionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus, non fieri vult potius, quam fingere.

36. Absoluta statione Audientium ascendebat ad classem Orantium, aut genuflectentium, quoniam precum, et exorcismorum, qui super Catechumenos effundebantur, confortes, participesque fiebant, donec processu Liturgiae ab Ecclesia missi fierent, dicente Diacono: *Quicunque Catechumeni discedite.* Interim habebant et hi suos Magistros, et Catechistas, qui eorum uberiori instructioni vacarent, singulorumque profectui invigilarent. Decernit Concilium Neocaesariense: *Catechumenus, si Dominicum ingrediens, in Catechumenorum ordine steterit, is autem peccat: si genu quidem stetens, audiat, (id est, in ordinem Audientium rejiciatur) si autem etiam audiens adhuc peccet, extrudatur, id est, absolute ab Ecclesia in sortem Paganorum expellatur, et abjiciatur.*

Conc.
Neocaeſ.
c. 5.

37. Qui expleta hac Statione, idonei a suis Catechistis judicabantur, ut Baptismum perciperent, hi sub horum fide, et testimonio Episcopo praesentabantur, daturi sua nomina, ut annotarentur inter illos, qui Baptismum pe-

s. Isid. L. terent. Juxta S. Isidorum Competentes
2. de dicti sunt, qui jam post doctrinam per-
Offic. fectam fidei, post diutinam continentiam
Eccl. vitae, ad gratiam Christi percipiendam
c. 21. festinant.

Cone.

Carth. IV.

c. 85.

38. Plerumque initio Quadragesimae,
nominibus dandis locus, et tempus fuit.
Praecipit Concilium Carthaginense IV.
*Baptizandi nomen suum dent, ac diu
sub abstinentia vini et carnium ac ma-
nus impositione crebra examinati ba-
ptismum percipient.*

39. Siqui horum reiteratis scrutiniis,
ad Baptismum suscipiendum adscripti
erant, Electi appellabantur, atque prope
inter fideles jam computabantur. Ait
Isidorus: *Competentes autem jam pe-
tunt, jam accipiunt, jam catechizan-
tur, id est, imbuunter instructione fi-
dei, et Sacramentorum. Iстis enim sa-
lutare Symbolum traditur, quasi com-
monitorium fidei, et sanctae confessio-
nis indicium, quo instructi agnoscant,
quales jam ad gratiam Christi exhibere
se debeant.*

40. Atque ad hanc classem per Crucis
signum, ac manus impositionem reci-
piebantur. Unde supereft hujus ritus me-
moria, quod juxta Rituale Romanum
post factam exorcizationem, et varias
preces, tandem praevie ante introduc-
tionem ad fondem baptismalem signet Sa-

cerdos infantem in fronte signo Crucis,
et imponit manum super caput infantis.

41. Imprimis Competentibus fidei
symbolum tradebatur, et exponebatur,
quia illud ad ingressum Baptismi reddere
recitareque tenebantur. Hinc et hodie
Sacerdos procedens ad fontem clara
voce dicit symbolum, respondentibus
pro infante Susceptoribus, per modum
cujusdam professionis fidei.

42. Reliquis ab renuntiationibus, quae
sequuntur, exprimitur professio morum.
Quippe veteres censebant, non tantum
fidei, sed et morum doctrinam ante Ba-
ptismum esse tradendam, quia juxta S.
Augustinum, peccatis prius est renun-
tiandum, vitaque mutanda, quam quis
ad Baptismum (extra casum necessitatis)
admittatur, *ne sanctum canibus detur.*

S. August.
de fid. et
oper.

43. Erant in hac statione et frequen-
tiores orationes, exorcismi, et manuum
impositiones, ut iis mediantibus Cate-
chumeni a vitiis; et reliquiis veteris vi-
tae perpurgarentur, ad Baptismum digne
fusciendum uberioris parandi. Meminit
S. Augustinus, Exorcismos, et exsuffla-
tiones adhiberi consueville, quia in pec-
cato originali nascuntur.

Ep. 194.
ad Sixt.
Presb.

44. Jam perpurgatis ad Baptismum
minuta quaedam Sacraenta, five Sa-
cramentalia praebebantur, ut nimirum
per ea ad vera Sacraenta fuscienda
disponerentur. Ait S. Augustinus: *De*

De Ca-
tech.
Rud.
c. 26.

Sacramento sane (scilicet salis) quod accepit (Catechumenus) cum ei bene commendatum fuit signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibilis in eis honorari, nec sic habendam esse illam speciem sanctificatam quemadmodum habetur in usu quolibet. Dicendum etiam, quid significet ille sermo, quem audivit, quid in illo condat, cuius illa res similitudinem gerit.

Conc.
Carth. III.
c. 5.

45. Statuit Concilium Carthaginense III. Placuit per solemnis dies Paschales Catechumenis Sacramentum non dari, nisi solitum sal. Quia, si fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari. En originem benedicti salis, quod hodie in os infantis sub praescripta formula immittitur.

46. Egressi e fonte baptismatis albis, quas continuis septem diebus velut vestes vulgares deferebant, per totum corpus induebantur. Juxta hodierna Ritualia imponitur capiti neo-baptizati infantis linteolum sub hac formula: *Accipe vestem candidam etc.* Superfunt reliquae rationes veteris Mysterii in Decreto Gratiani c. 91. et 92. D. 4. de Conf.

47. Neophyti et cereo accenso per septem dies utebantur. Hodie sacerdos Patrino, infantem baptizatum tenenti, porrigit candelam accensam, dicens: *Ac-*

cipe lampadem ardentem , et irreprehensibilis custodi Baptismum tuum etc.

48. Olim baptizati, etiam infantes, mox Confirmatione, et Eucharistia donabantur. Hodie Neophytus a Presbytero ungitur in vertice, sub hac formula: *Deus Omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi etc.* Haec formula recentior est.

49. Desit nostri aevo benedictio, et porrectio lactis, et melis, quibus olim Neophyti ad indicandum mysterium Christianae infantiae donabantur. Superest tamen vestigium veteris solemnitatis Paschalis, Pentecostalisque, quod in signum laetitiae, misso omni jejunio, veluti luctus indicio, per septem dies festiva haberetur. Exinde enim est, quod et apud nos Octavias instruantur.

50. Supersunt Patrini. Qui enim olim baptizandum Episcopo praesentabant, Sponsores, et Fideiussores dicti sunt, tanquam, qui pro fide, et instructione Catechumenorum fidem darent, spondentque. Juxta spuriam Decretalem Hygini consuetudo Romana est, quod singuli singulos suscipiant. c. 100. D. 4. de Conf.

Cap. 5.
De Patr.
et obstr.

51. Quum veterim ore plerumque nudii mergerentur, etiam plerumque viri viros, mulieres mulieres de Baptismo suscipiebant. Juxta Constitutiones Apostolicas in Oriente praeceptum erat, ut

Const.
Apost.
L. 3. c. 16.

virum quidem suscipiat Diaconus, mulierem vero Diaconissa.

52. Reliquum Susceptorum officium diversum fuit nimirum Neophytorum fidei mysteriis, tum doctrinae praceptis privatim instruere, instructosque sufficienter Episcopo ad Baptismum offerre. Hos et ex fonte regressos suscipiebant, et alba veste operiebant. Juxta Decretum Concilii Parisiensis VI. uti Parentes filios suos, ita et Patrini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudire summopere studeant.

53. Synodus Coloniensis Ann. 1536. Susceptores infantis memores esse praecepit, quod ipsi sint, qui Ecclesiae nomine, et in fide Ecclesiae Christi parvulos offerant per Baptismum, ac se propriodem pro pravulis Fidejussores constituant, nomine parvuli respondentes: Quem etiam, postquam adoleverit, Symbolum simul, ac Orationem Dominicam edocere, atque vitam Christo, ac professione in Baptismo facta dignam perpetuo ugere, saltem, ubi id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent.

54. Hinc Synodus Audomarensis Ann. 1585. mandat Pastoribus, ut videant, quibus tenellas Christi oviculas credant: caveantque, ne quosvis ad hoc officii munus admittant, et parentes moneant, ne quosvis promiscue elegant,

Cone.
Paris. VI.
L. I. c. 19.

Synod.
Audom.
Tit. 3.
c. 6.

gant; verum eos tantummodo, de quibus probabile fiat, fore, ut praestent id quod promittunt. Et infra: *Idcirco consultum foret, abrogare prorsus illam munerum offerendorum consuetudinem, quemadmodum Edicto Cae- sareo Caroli V. aliquando cautum fuit.*

55. Caeterum ab eo munere rejiciuntur haeretici, excommunicati, criminosi, rudes, qui ipsimet nesciunt ea, quae docere oporteat Neophytum, aliique, de quibus constat, quod hoc officium pas- sim praestare nequeant, ut qui curae Pa- storalis, vel alia vitae professione pro- hibentur. Juxta vetus Decretum Concilii Antissiodorensis non licet Abbati, vel Monacho inde de Baptismo suscipere filios. Refert. c. 103. D. 4. de Conf.

56. Veteribus sat vulgare fuit, quod Parentes suos proprios filios ex Baptismo levarent. S. Caesarius Arelatensis testa-
tur, quod, *quia infantes per se minime profiteri possunt, Parentes ipsorum pro eis Fidejussores existant.* Defit ve-
tus usus, postquam impedimentum di-
rimens ex cognitione spirituali inductum
fuit. In Concilio Moguntino Ann. 813. diserte statuitur, *ut nullus proprium filium, aut filiam de fonte baptismatis suscipiat.* Nec Commatrem ducat uxorem, filiolam, aut illam, cuius filium, vel filiam ad Confirmationem du-

s. Caes.
Arel.
hom. 12.

Conc.
Mog.
c. 55.

xerit: ubi autem factum fuerit, separantur.

57. Recentiores Synodi obstetricum justam cautelam commendant, tum, ut Baptismi rite conferendi justa scientia polleant, tum, ut reliquae suae artis peritiae sint. Synodus Coloniensis Ann. 1280. praecipit, ut, si certum sit, quod mulier praegnans moriatur, tenentur os ejus apertum, et cum magna cautela uterus ejus aperiatur: et si infans fuerit vivus, educatur, et baptizetur.

Synod.
Colon.
c. 4.

Cap. 6.
De Purif.
puerper.

58. Invaluit exemplo B. Virginis et in Christiana Religione, quod mulieres Christiane, legitimum partum enixaes, se in Ecclesia purificandas sistere vellent, licet veteri lege Moysis neutiquam tenerentur. Ait S. Gregorius: *Si mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur.* Refert. c. 2. D. 5.

59. Recidit ergo hic usus Christianarum mulierum ad simplicem devotionem. Ait Innocentius III. si tamen voluerint ex veneratione aliquamdiu abstinere ab ingressu Ecclesiae, donec purificantur, devotionem earum non credimus improbandam. c. un. de Purif. post. part.

60. S. Congregatio 18. Nov. 1662. decidit, Purificationes mulierum non alibi, quam in Ecclesia propriae Parochiae admittendas, peragendasque esse, re-

pressis Regularibus, qui id jus suis et Ecclesiis vindicare Antverpiæ nitebantur. His ex ordine dictis.

*61. Quid ad argumentum disciplinae salubrius monito S. Caroli supereft, quam ut Parochi, et Confessarii cohortationis officio in id saepius incumbant, quatenus fidelium unusquisque annue recolat diem Baptismi, quem in infantia recepit? Ait S. Ambrosius: *Repete, quid interrogatus sis, recognosce, quid per Sponsores responderis. Renuntiasti diabolo, et operibus ejus, mundo, et luxuria ejus, ac voluptatibus. Memor esto sermonis tui, et nunquam tibi excidattuae series cautionis.* Juxta Decretum Concilii Parisiensis VI. *Omnibus fidelibus studendum est, ut passionis, et sponsonis, quam cum Deo in baptimate fecerunt, semper memores existant, caveantque, ne quibuslibet vitiorum sondibus se maculantes, non solum eundem sibi reaccendant ignem, verum etiam eundem immundum spiritum, a se tempore baptismatis expulsum, cum septenario Daemonum numero sibi addito, ad se quoquomodo redire faciant, ut Dominus ait: Novissima pejora prioribus etc. Nulli quippe dubium est, quod Religio Christiana Baptismum Christi fideliter expetat, et salubriter etiam in infantia percipiat, sed valde periculosum est, et a religione Christiana*

Con.
Mediol.
VI. c. 8.

Conc.
Paris.
lib. I. c. 9.

alienum, quod post tanti doni perceptionem unusquisque fidelis, cum ad intelligibilem aetatem venit, Mysterium baptismatis discere, et intelligere negligit, atque eo intellecto secundum illud vivere non satagit. Quod periculum et ad negligentiam pertinere Sacerdotum, qui id solerter debent annuntiare, et ad Auditorum incuriam, qui hoc intelligere, et adimplere parvifundunt, nulli dubium est. Refert Micrologus: Romani annotinum Pascha, quasi anniversarium Pascha, dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Pascha baptizati erant, eadem die ad Ecclesiam convenere, suaeque regenerationis anniversarium diem cum oblationibus solemniter celebraverunt etc. Si enim quilibet suum natalem carnis, quo ad aeternam mortem natus est, observat, quanto magis illum observare deberet, quo ad aeternam vitam regeneratus per Baptismum est. Catechismus Concilii Tridentini haec monet: Parochus fidelem populum ad eam rationem cohortabitur, ut sciat aequissimum esse prae caeteris hominibus nos, qui a Christo nomen invenimus, Christianique vocamur, et quanta ille in nos beneficia contulerit, ignorare non possumus, ob id maxime, quod ejus munere haec omnia fide intelligimus: Aequum esse, inquam, nos ipsos non

Microl.
de Eccl.
observ.

c. 56.

Cath.
Conc.
Trid. P. I.
in Expos.
art.
Symb.
n. 21.

secus ac mancipia Redemptori nostro, ac Domino in perpetuum addicere, ac conservare. Et quidem cum Baptismo initiaremur, ante Ecclesiae fores id professi sumus: declaravimus enim, nos satanae, et mundo renuntiare, et Iesu Christo totos nos tradere. Quod si, ut Christianae militiae adscribemur, tam sancta, ac solemnis professione nos ipsos Domino nostro devovimus, quo supplicio digni erimus, si, postquam Ecclesiam ingressi sumus, Dei voluntatem, et leges cognovimus, postquam Sacramentorum gratiam percepimus, ex mundi, et diaboli praeceptis vixerimus; perinde, ac si, cum Baptismo abluti sumus, mundo, et diabolo, non Christo Domino, ac Redemptori, nomen dedissemus?

T I T V L V S III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPVT I.

De Dispositionibus.

1. Olim Confirmationis Sacramentum mox suscepsum Baptisma insequebatur, adeo ut vix fideles, aut Christiani audiissent, qui Confirmationis Sacramentum nondum suscepissent. Quippe Sacramentum hoc instar cujusdam perfe-

Con.
Laod.
c. 48.

ctionis ad Baptismum referebatur. Ait Concilium Laodicense: *Quod oporteat eos, qui illuminantur, post Baptisma inungi supercaelesti Chrysma*, et esse regni Christi participes.

2. In veteribus Scripturis hoc Sacramentum passim manus impositio, aut Chrysatio appellatur. Novo jure Confirmationis nomen praepalacuit, quia per hoc Sacramentum Spiritus sanctus datur ad robur, et augmentum. c. un. §. 4. de Sacr. Undēt.

3. In Ecclesia graeca supereft et hodie veteris usus observantia, quod mox post Baptismum conferatur Confirmation. Juxta Rituale Romanum et in Ecclesia latina de Baptismo adulorum praecipitur: *Si adfit Episcopus, qui id legitime prae-
stare possit, ab eo Neophyti Sacra-
mento Confirmationis initiantur.*

4. Caeterum praevalente quotidiano Baptismo infantum consultius visum fuit, Sacramentum Confirmationis in proiectiorem aetatem, v. g. septennium deferre, ut melius suscepit Sacramenti memores esse possint, nisi ex rationabili causa, forte propter diaeeseos amplitudinem, Confirmanti aliud videatur.

5. Praecipit S. Carolus, ut Parochi suas plebes de hoc Sacramento rite instruant. Illud vero, inquit, maxime horabitur Parochus, ut se, cum hoc Sa-

S. Carol.
instruct.
de Con-
firm.
p. 420.
edit. 1683.

cramento Spiritus S. gratia uberrime conferatur, ad eam consequendam jejuniis, eleemosynis, qui per facultates, et vires possunt, aliisque pietatis officiis, et operibus parent; atque imprimis frequentiore, et ardentiore orationis religiosae studio devote sese exerceant, exemplo SS. Apostolorum, qui, dum exspectarent Spiritum sanctum, perseverantes erant in oratione, et jejunio.

6. In Concilio Mediolanensi IV. mandat S. Carolus Pastoribus, ut paucis ante ministracionem diebus Parochus, in cuius parochia hujus Sacramenti administratio indicitur, primo Orationem publicam instituat, ut sui divinae gratiae dona uberrime recipient.

7. Synodus Audomarensis primas partes sui officii Pastoribus explicat, ut subditos suos sedulo moneant, quo pueros suos, nondum Confirmationis sacramento insignitos, qui quidem sextum superaverint aetatis annum, ad illud reverenter suscipiendum praeparent, edocentes orationem Dominicam, et symbolum Apostolorum, quantum fert aetas, atque capacitas, jejunos, si permittat valetudo, confessione expiatos, si doli sint capaces, corporis habitu, et capite imprimis mundos. Inde nonnullorum justa cautela commendatur, quod neminem ad Confirmationem su-

Conc.
Mediol.
P. S. Tit.
de Visitat.

scipient, nisi testimonium a suo Parocco
meruerit.

Cap. 2.
De Minist.
Confirm.
Trid. sess.
7. c. 3. de
Confirm.

8. Concilium Tridentinum, repressis
erroribus Novatorum, inter caetera et
illud dogma declarat, Confirmationis
ordinarium Ministrum esse Episcopum.
*Siquis inquit, dixerit, sanctae Confir-
mationis ordinarium Ministrum non
esse solum Episcopum, sed quemvis sim-
plicem Sacerdotem; anathema sit.*

9. In Decreto Gratiani comparent
spuriae Decretales, quae id genus Mi-
nisterii diserte Episcopo vindicant. Ait
Pseudo-Eusebius: *Nam, si aliter piae-
sumptum fuerit, irritum habeatur,
et vacuum, et inter ecclesiastica nun-
quam reputabitur Sacra menta.* Refert.
c. 1, 2, 3. et 4. D. 5. de Conf.

Innoc. I.
ep. ad
Decent.
c. 3.

10. Superest purior fons veteris ju-
ris in Decretali Innocentii I. *De con-
signandis vero infantibus, inquit, ma-
nifestum est, non ab alio, quam ab Epi-
scopo fieri licere. Nam Presbyteri licet
sint Sacerdotes, Pontificatus tamen api-
cem non habent. Haec autem Pontifici-
bus solis deberi, ut vel consignent,
vel spiritum Paracletum tradant, non
solum ecclesiastica consuetudo demon-
strat, verum et illa lectio Actuum Apo-
stolorum etc.*

11. In Ecclesia Orientali viget tamen
et hodie usus, quod Presbyteri baptiza-
tos in fronte consignent. Aegre inaudiit

S. Gregorius, quod hic mos aliquando in Sardinia receptus esset. c. 19. D. 4. de conf. Ast postquam S. Pontifex certior factus est, Sardos a veteri more revocari non posse, indulxit, ut ubi Episcopi desunt, Presbyteri etiam in fronte baptizatos Chrysma tangere debeant. Refert. c. 1. D. 95.

12. In Concilio Florentino recruduit controversia: *Quare Pontifices non inunguent sacro Chrysma, sed Sacerdotes; cum hoc Pontificibus sit datum?* Subditur mox in textu: *Haec a Latinis objecta Mytylensis canonice omnia, legitimeque dissolvit.*

13. Innocentius III. haud tulit, quod latini Presbyteri Constantinopoli ad morem orientalis Ecclesiae sibi Sacramentum Confirmationis conferre arrogarent, quia Latinis sequendus est usus latinae Ecclesiae. c. 4. de Consuet.

14. Inde oportet inter Ministrum ordinarium, et extraordinarium, vel delegatum distinguere. Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Alii Sacerdotes extraordinarii Ministri esse possunt. Eugenius IV. ita supposuit: *legitur, inquit; tamen aliquando per Apostolicae Sedis dispensationem simplicem Sacerdotem Chrysma, per Episcopum consecrato, hoc administrasse Sacramentum Confirmationis.*

Eugen.
IV. in-
struct.
pro Ar-
men.

Conc.
Tolet.
c. 20.

15. Refert Gratianus veteres Canones, qui vetant Presbyteris Chrysma confidere. c. 1. & 2. XXVI. q. 6. Juxta Decretum Concilii Toletani I. *Episcopo sane omni tempore licet Chrysma confidere.* En disciplinam saeculi V., quamvis et eo canone praeceptum sit, ut de singulis Ecclesiis Diaconi ante diem Paschae destinentur ad Episcopum, confectum ab Episcopo chrysma recepturi.

16. Antiquae, quae tamen putantur spuriae, Decretales praincipiant, Chrysmma esse conficiendum ab Episcopo c. 18. D. 3. *de Consecr.* Hic usus saeculo VIII. receptus videtur, quia tum in Sacramentario S. Gregorii, tum in veteri Ordoine Romano, tum in aliis illius aevi auctoribus passim relucet.

17. Statuit Concilium Carthaginense IV, *ut Presbyteri, qui per diversas Diaeceses Ecclesias regunt, non a quibuslibet Episcopis, sed a suis, nec per juniores Clericum, sed (juxta Gratianum omni anno) aut per seipso, aut per illum, qui Sacrarium tenet, ante Paschae solemnitatem Chrysma petant.* Refert. c. 4. D. 95.

18. Saeculo IX. Hincmarus testis est, Parochos ab Archidiaconis aliquando chrysma recepisse. Reliqua veterum Canonum cautela fuit, ut vel pro balsamo, vel pro luminaribus emendis nihil a

Presbyteris, Chrysma petentibus, exigeretur. c. 101, 102, 103. et 106. I. q. 1.

19. His argumentis novo jure declaravit Innocentius III. simoniacam esse consuetudinem quorundam Episcoporum in Provincia Cantuariensi, quod exigeretur peccunia pro Chrysmate, idque per anticipatam solutionem: ne videarentur pro Chrysmate accipere. c. 36. de Simon.

20. Ait S. Cyrillus: *Quemadmodum panis Eucharistiae post S. Spiritus invocationem non amplius est panis communis, sed est corpus Christi. Sic et S. hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque, (si quis ita appellare vellit) commune, postquam jam consecratum est, sed est Chrysmum Christi, quod adventu Spiritus sancti per ipsum divinitatem energiam habet. Quo frons, et alii sensus corporis — symbolice inunguntur: est corpus quidem isto visibili unguento perungitur: anima vero sancto vivifico Spiritu sanctificatur.*

21. Hinc patet, usu Orientalis Ecclesiae non tantum frontem, sed et alios sensus, v. g. oculos, nares, aures, et pedes in Sacramento Confirmationis perungi. Ait S. Cyrillus: *ac inde quidem fronti illinitur, ut eum a vobis abstergat pudorem, quem primus homo*

Cap. 3.
De Ritib.
Confirm.
S. Cyrill.
Catech. 3.
Mystag.

Supr.

*transgressor perpetuo circumferebat,
simulque efficiat, ut possitis vultu non
velato gloriam Domini intueri. Deinde
vero aures unguntur, ut ad audiendū
divina mysteria aures accipiatis
etc.*

22. Conveniunt Graeci, et Latini, quod signent, seu ungant signo crucis. Quippe juxta monitum S. Caroli meminisse oportet, *illo signo crucis, quo Christus triumphavit, christianum hominem, in cuius fronte dum confirmatur, in numerum adscribi fortissimorum ejus militum.*

23. Unctionem Chrysantis tum apud Graecos, tum apud Latinos praecedit oratio, quam Episcopus recitat expansis super confirmandos manibus, quibus idem per ipsa indicatur, ac si diceretur, impositis super confirmandos manibus. Ait S. Augustinus: *Quid enim est aliud manus impositio, quam oratio super hominem.*

S. August.
1. 3. de
Bapt.
c. 16.

24. Divulsa a Sacramento Baptismi Confirmationis administratione Patrinos, et Matrinas aequae, ac ad Baptismum placuit assumere, inter quos impedimentum dirimens constituitur. Non nullibi hic usus exoluit: alibi recentiores Synodi consulunt Parentibus, ut, quantum fieri potest, cognatos, aut affines, aut Clericos in sacris Ordinibus constitutos in Patrios feligant: *Ne multiplicentur impedimenta Matrimonii.*

25. In latina Ecclesia Chrysma per modum crucis fronti confirmandi illinitur praescripta formula: *Signo te signo Crucis et confirmo te chrysmate salutis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Quo tempore haec formula innotuerit, apud Interpretes incertum est, quorum et plures praetendunt, formam hodiernam graecorum esse: *Sigillatum doni Spiritus sancti.*

26. In reliquis recidit ad officium Episcoporum providere, ut, postquam Confirmatio a Baptismo disjuncta, in provectiorem aetatem differri caepit, nemo, quantum fieri potest, tam salubri Sacramento destitutus decadat. Quippe, ut ait Farvacquius Armacanus Primas Hiberniae, qui Sacramentum Confirmationis retardant, sine quo plurimi suorum subditorum ab hac luce redundunt, graviter valde coram Deo delinquunt.

Farvacqu.
L. 9.
c. 30.

27. Synodus Buscodunensis in Belgio monet: *Dum hoc Sacramentum ministratur, non modo, qui illud suscep- turi sunt, quippe eos, velut Patrini offerunt, sed, quotquot etiam praesentes sancto illi ministerio adsunt, sancte, pieque orent, ac summa animi intentione spectent, quod in illa solemni ministerii celebritate peragitur; tum vero mente reputent caelestia illa Spiritus sancti dona, quae illius Sa-*

Synod.
Buscod.
c. 7.

eramenti virtute fidelibus impenduntur; imprimisque tacita meditatione videant, quas in illis progressiones habeant, et an vitam agant tanta caelestium donorum ubertate dignam?

Conc.
Mediol.
c. 8.

28. Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo tum clausulam, quae nominis mutationem spectat, his rationibus explicat: *Ut, qui hactenus non ad normam Christi Domini vitam instituit, jam abjecto nomine hujusmodi, deposito que veteri homine, et antiqua cordia, rursusque novo, ac sancto suscepto nomine, virilem in sancte agendo constantiam perpetuo deinde praefestet.*

*29. Atque hac, vel alia occasione ad stabiliendam sanctae vitae constantiam, quid Pastoribus consultius, quam inter tanta pericula reliquarum seductionum, et temptationum plebes ad veterem frequentiam eliciendi vivam fidem assuescere? Ait S. Petrus; *Adversarius vester diabolus, tanquam Leorugiens circuit, quaerens, quem devoret, cui resistite in fide.* Quid clarissima sententia S. Pauli: *Propterea, inquit, accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare — in omnibus sumentes scutum fidei, in quo positis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Juxta S. Cyprianum: *Manere apud nos debet*

I. Petr. 5.
ad Ephes.
6.

s. Cypr.
ep. 3.

fidei robur immobile et stabilis, atque inconcussa virtus contra omnes incursum, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petrae objacentis fortitudine, et mole debet resistere. Ex sententia S. Cyrilli Alexandrini: Oportet, ut in fide confirmemus, qui jam in Christum crediderant, quos sanguine suo acquisivit, sincerosque adoratores effecit. Quid monito S. Augustini salubrius? Accipite, ait, filii regulam fidei, quod symbolum dicitur. Et; cum acceperitis, in corde scribite; et quotidie dicite apud vos: antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro symbolo vos munite. Symbolum nemo scribit, ut legi possit, sed ad recensendum, ne forte deleat oblivio, quod tradidit diligentia. Sit vobis codex vestra memoria.

S. Cyril.
Apol. ad
Theod.
Imp.

S. Aug.
de Symb.

TITVLVS IV.

De Sacramento Eucharistiae.

CAPVT I.

De Materia, Forma et Ministro Eucharistiae.

I. Eliciendis actibus vivae fidei amplissimum locum praebet augustissimum SS. Eucharistiae Sacramentum. Ait B. Ephrem: *Participa immaculatum corpus, et sanguinem Domini in fide ple-*

S. E.
phrem. de
Natur.
Dei cu-
rios. non
scrut.

nissima, certus, quod agnum ipsum comedas.

2. Quippe juxta Oraculum Concilii Lateranensis IV. *Christi corpus, et Sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, et vini veraciter continentur, transubstantiatis pane in corpus, et vino in sanguinem potestate divina, ut ad percipiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro.* Refert. c. 183. de SS. Trinit.

Conc.
Const.
sess. 19.

3. Juxta Decretum Concilii Constantiensis firmissime ergo credendum est, et nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus, et sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Quid disertius?

Trid. sess.
13. de SS.
Euch.
Sacram.
c. 3.

4. Reliqua dogmata augustinissimi hujus Sacramenti explicat, illustrat, et vindicat S. Synodus Tridentina. Inter alia declarat S. Synodus: *Si quis dixerit, sub qualibet specie, et sub qualibet ipsius parte non contineri facta separatione totum Christum; anathema sit.* Adjecta hac clausula Concilium Catholicis reliquit disputare, an Christus totus esset in qualibet particula Hostiae integrae, nimirum ante separationem factam.

Eug. IV.
pro Arm.

5. Decretum Eugenii IV. declarat, materiam hujus Sacramenti pro conseruatione corporis esse panem triticeum,

et pro consecratione sacri Sanguinis esse vinum de vite. Graeci pane fermentato: Latini pane azymo, salva unitate fidei, et diversitate disciplinae, utuntur. Hinc cuique ritus suae Ecclesiae religiose colendus est. Jure novo latino Presbytero imminet depositio ab officio, et beneficio, si in pane fermentato consecrare ausus fuerit. c. 14. *de Celebr. Miss.*

6. Graeci, Latinique formam hujus Sacramenti in verbis ipsis Domini reponunt. Hodierna quidem latina formula calicis, quoad tenorem verborum, non est in Scriptura sacra, nec in Liturgiis veteribus; est tamen optima, quia exprimit sensum aliarum formularum, quae exstant apud Evangelistas, et S. Paulum. In Decreto Gratiani uberius reluent veteres auctoritates, quae virtutem, et majestatem divinorum illorum verborum explicant. c. 55. *et passim. D. 2. de Conf.*

7. Minister hujus Sacramenti est Sacerdos. Repressit Synodus Nicaena I. inde olim audaciam Diaconorum, quod quibusdam in locis S. Eucharistiam praesumerent administrare Presbyteris. *Quod, ait, nec consuetudo tradidit, ut, qui offerendi potestatem non habent, iis, qui offerunt, dent Corpus Christi.* Riserat S. Hieronymus Hilarium schismaticum, *quod, cum Diaconus Van-Espen J. Eccl. P. II.*

Menard.
ad Sacram.
S. Greg.
p. 19.

Conc. Ni-
caen. c. 18.

S. Hieron.
adv. Lu-
cif.

*ab Ecclesia recessit, solusque, ut putat,
turba sit mundi, neque Eucharistiam
confidere possit, Episcopos, et Presby-
teros non habens.*

8. Vetus tamen Diaconorum officium fuit, Sacramentum Eucharistiae populo dispensare. Statuit Concilium Carthaginense IV. *Praesente Presbytero, Diaconus Eucharistiam Corporis Christi populo, si necessitas cogat, jussus eroget.* Refert. c. 18. D. 93.

9. Dispensatio ergo Corporis Christi nonnisi extra ordinem Diaconis obtigit; dispensatio vero Sanguinis Dominici frequentius, et vulgarius Diaconis competit. Vestigium veteris disciplinae hodie superesse videtur, quod Diaconus in Missa solemni calicem una cum Presbytero offerat; dicit enim Sacerdos in oblatione calicis pluraliter: *Offerimus, cum inoblatione panis dicatur singulariter: quam tibi offero.*

10. Postquam circa saeculum XII. aut XIII. communio Laicorum sub utraque specie desiit, et vetus officium Diaconorum dispensandi populo calicem exolevit, hac occasione jure novo ad Parochos, titulo curae animarum, recidit consecratio, dispensatioque SS. Eucharistiae, quia ab iis populum oportet Sacraenta percipere. Clem. 1. de Privil.

11. Sensim emersit libertas a quovis Sacerdote saltem extra tempus Paschale, SS. Eucharistiam obtainendi. Dum enim in Ecclesiis Regularium, aliisque Oratoriis passim populus ad Sacra admitti coepisset, consequens visum fuit, quod, ubi sacrificio interesse liceret, ibi et sacra Communio percipi posset, quia Communio est quaedam pars ipsius sacrificii. Interim indiscreta libertas praeprimis suffragari visa est multiplici illius Sacramenti profanationi. dum scelestis quibusque, etiam notoriis peccatoribus via aperta est, sine ullo repulsae metu ad S. Mensam obrependi? Quid enim facilis est, quam neglecto Parochiali Presbytero, cui ejus vita nota esse potest, alium quemquam ignotum Presbyterum adire, ut ab eo Eucharistia percipiatur, spretis tantis Synodorum Decretis, ut publici, ac notorii peccatores a Sacramento repellantur.

12. Ex instituto Christi Domini est Eucharistia cibus, et potus animae. Hic enim Ordo elucet spiritualis vitae, ut, quemadmodum per Baptismum ad regnum caelorum generamur, per Confirmationem roboramur, ita per Eucharistiam nutriamur. Ait Christus Dominus diserte: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus etc.* Joan. VI.

13. Hac consideratione multis saeculis usitatum fuit, quod haec tria Sacra-

menta per continuam seriem mox administrarentur, ita, ut et ipsis pueris, in tenera, et infantili aetate baptizatis Eucharistia porrigeretur. Supereft et hodie vetus usus in Ecclesia orientali. In Ecclesia latina veteris usus meminit Hugo a S. Victore, qui saeculo XI. scripsit. *Pueris, inquit, recens natis idem Sacramentum in specie sanguinis est ministrandum dito Sacerdotis, quia tales naturaliter sugere possunt.*

14. Labentibus saeculis a Baptismo secernere Confirmationem, Communioneque placuit, ut progressu aetatis uberior locus instructionis, et præparationis, ad percipiendum cum majori fructu utrumque Sacramentum, supereret. Hinc S. Synodus Tridentina docet, *parvulos, usu rationis carentes, nulla necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistiae Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa aete te admittere non possunt.*

15. Pertinet inde ad officium Pastorum, ut pueros, procedente aetate, de tanto mysterio sollicite instruant, explorent, curentque, ut ad primam communionem, cum justa reverentia, et pietate sumendam, admitti mereantur. Inter alia statuit S. Carolus in Sy-nodo diaeclesan XI. Mediolanensi, *ut*

Trid. sess.
21. de
Comm.
cap. 4.

In A&.
Mediol.

Parochi singulis mensibus semel certa constituta die, pueros, qui annos novem attingunt, ad Ecclesiam evocent: sigillatimque ad rectam confitendi rationem instruant, regulis in sacramentali libro traditis: Illos autem, qui decennium attigerint, hebdomadae Septuagesimae initio accersant, et sigillatim instruant, atque erudiant ad cognitionem, cultumque SS. Sacramenti Eucharistiae; doceantque, quam humiliter, et religiose, reverenterque ad eam sumendam accedant, ex regulis item praescriptis ejusdem libri sacramentalis.

16. Superest et in adultis justae discretioni uberior locus, ut nemo indignus ad S. Mensam accedat. Olim Diaconus magna voce, teribili clamore (ut loquitur S. Chrysostomus) tanquam praeco manum tollens in altum, stans excelsus, et omnibus manifestus, clamabat: SANCTA SANCTIS; quasi diceret; si quis non est Sanctus, non accedat. Non solum de peccatis purus, sed etiam sanctus: Sanctum enim non facit solum liberatio a peccatis, sed etiam praesentia S. Spiritus, et bonorum operum copia. Non solum volo vos a caeno esse liberos, sed albos esse, et speciosos.

17. Praecipit Rituale Romanum: Arcendi sunt a sacra Communione publi-

S. Chry-
soft.
hom. 17.
in cap. 9.
ad Hebr.

ce indigni , quales sunt excommunicati , interdicti , manifesteque infames , ut meretrices , concubinarii , faeneratores , magi , sacrilegi , blasphemi , et alii ejus generis , sive notorietate juris , sive notorietate facti publici peccatores , nisi de eorum poenitentia , et emendatione constet , et publico scandalo satisfecerint .

Supr.
p. 601.

18. Quid salubrius Decreto S. Caroli ? Neminem peccatis publicis irretitum ad communionem excipiet (Parochus) nisi prius scandalo publico satisficerit ; etiamsi absolutionis a Poenitentiariis , aut Confessoribus etiam Regularibus , acceptae testimonium produxerit .

19. Ex veteri rigore poenitentiae sati diu alibi superfuit usus , quod damnatis ad ultimum supplicium SS. Eucharistia denegaretur , sed postquam Clemens V. decrevit , his , si peterent , denegandam non esse poenitentiam , praevaluit indulgentia , ut et SS. Eucharistia donarentur . En Decretum S. Caroli in Concilio Mediolanensi V. Reus capit is damnatus , inquit , quo die pro Viatico SS. Corpus Domini sumpfit ; Christo Redemptori , qui pro illius etiam anima sanguinem in ara Crucis profudit , a piis Iudicibus , Magistratibusque , illo ipso sanguine redemptis , tribuat ur , ut ne eo die supplicio afficiatur ,

Conc.
Mediol.
P. I.
Tit. 9.

multis locis piae, et laudatae consuetudinis est.

20. En reliquum Decretum Ritualis Romani quoad peccatores occultos. *Occultos vero, inquit, peccatores, si occulte petant, et non eos emendatos cognoverit (Parochus) repellat; non autem si publice petant, et sine scandalo eos praeterire nequeat.* Haec, et vetus cautela fuit. c. 19. II. q. 1.

21. Repulsus indignis inter caeteros olim frequens, et fere quotidiana communio viguit. Stetit enim usus, Pontificem, confectis mysteriis, sumisse Eucharistiam, et singulis praesentibus tum per se, tum per Diaconos tradidisse, quin ullus interesse Sacris permitteretur, nisi qui offerre, si posset, et de oblatis participare vellet. Ait S. Hieronymus: *scio; Romae hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi corpus accipiant.*

Cap. 3.
De Com-
mun.
Pasch.

S. Hieron-
ep. 5. ad
Pam-
mach.

22. Quum saeculo VI. vetus fervor remittere videretur, statuit Concilium Agathense, Catholicos ab Ecclesia ejicendos esse, nisi in Natali Domini, Paschae, et Pentecoste communicaverint. c. 19. D. 2. de Consecr.

23. Hoc exemplo decernit Concilium Turonense III. *Etsi non frequentius, saltem in anno ter laici homines, communicent, (nisi forte majoribus quibuslibet criminibus per ordinem poeni-*

tentiae canonicae impediatur) in Pascha videlicet, Pentecoste, et Natali Domini. Gratianus id Decretum pereram Fabiano inscribit c. 16. D. 2. de Conf.

24. Novo jure annua communio ad Pascha restrictum est. Statuit Concilium Lateranense IV. *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti et injunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae Sacramentum.* Refert. c. 12. de Poenit. et Remiss.

Trid. sess.
13. de
Euchar.
c. 9.

25. Concilium Tridentinum anathema pronuntiat: *Si quis negaverit, omnes, et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum, juxta praeceptum S. Matris Ecclesiae.*

Sess. 22.
de Sacrif.
Miss. c. 6:

26. Alibi tamen S. Synodus declarat, sibi in votis esse, ut Christi fideles frequentius ad sacram Communionem accedant; imo, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed etiam sacramentali Eucharistiae perceptione communicent. Juxta crisin Benedicti XIV. Tridentini Patres consulto tamen abstinuerunt ab universalis

Bened.
XIV. de
Synod.
Lib. 7.
c. 12.

regula de hac re tradenda; cum satis exploratum habuerint, eam unice posse a peculiari cuiuslibet statu, devotione, et charitate desumi.

27. Quid discretius sententia S. Chrysostomi? *Quinam*, inquit, *erunt nobis magis accepti*; *an*, *qui semel*, *an*, *qui saepe*, *an*, *qui raro?* Nec *hi*, nec *illi*, sed *ii*, *qui cum munda conscientia*, *qui cum mundo corde*, *qui cum vita*, *quae nulli est affinis reprehensioni*. *Qui sunt hujusmodi*, *semper accedant*. *Qui non sunt hujusmodi*, *ne semel quidem*.

S. Chrysostom.
hom. 17. in
Epist. ad
Hebr.

28. Quantum ad praeceptum annuae Paschalis communionis pertinet, ea cuique fidelium in propria Parochia a proprio Sacerdote accipienda est. S. Carolus in Concilio Mediolanensi P. II. statuit, *ut Parochi — ad populum conversi denuntient*, *ut, si quis eorum, qui adsunt, Parochiae suae incola non est, ad suam quisque Parochialem Ecclesiam abeat, ubi, quemadmodum sanctionibus Canonum jussum est, eo tempore sacram Eucharistiam sumat*.

Conc.
Mediol.
II. Tit. I.
Decr. 12.

29. Paschalis communio eo modamine praecpta est, *nisi forte de consilio proprii Sacerdotis*, ob aliquam rationabilem causam, *ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinentiam*. Mavult enim Ecclesia, ut quisquam diutius abstinentia digne accedat, quam ut praeципitanter sumendo judicium sibi man-

ducet. In reliquis, quamvis certum sit, per proprium Sacerdotem intelligi proprium cuiusque Parochum, nihilominus juxta modernam disciplinam quisque Confessarius, qui in Paschate habet potestatem excipiendi confessiones, etiam habet potestatem respectu sui poenitentis tempus Paschalem communionem prorogandi, quia solus potest discerne-re, quid cuique poenitenti conveniat?

30. Ex Decreto Concilii Lateranensis IV. qui communionem Paschalem vel contemnit, vel neglit, vivens ab ingressu Ecclesiae arceatur, et moriens ecclesiastica careat sepultura. Hanc poenam alii ferendae, alii latae esse sententiae censent. c. 12. de Poenit. et Remiss.

Cap. 4.
De S.
Viat.
Rit. Rom.

31. SS. Altaris Sacramentum et infirmis necessarium est. Inquit Rituale Romanum: Hortetur *Parochus infir-mum*, ut *S. Communionem sumat*, etiam si graviter non aegrotet, aut mortis periculum non immineat; ma-xime si festi alicujus celebritas id sua-deat: neque ipse illam administrare re-cusabit. — PRO VIATICO autem mini-strabit, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit. Quod si aeger sumpto *S. Viatico* dies aliquot supervixerit, vel periculum mortis e-vaserit, et communicare voluerit, ejus pro desiderio *Parochus* non deerit.

32. Oportet ergo duplaci infirmorum communionem distinguere; unam per modum devotionis, et alteram per modum Viatici. Inter utramque haec notatur diversitas, quod juxta Rituale Romanum Viaticum possit dari brevi morituris, etiam non jejunis: caeteris autem infirmis, qui ex devotione in aegritudine communicant, danda fit Eucharistia ante omnem cibum, et potum, non aliter, ac caeteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinae antea aliquid sumere licet. Est et differentia in formula administrationis. Pro Viatico enim dicit Sacerdos: *Accipe frater, (vel soror) Viaticum corporis D. N. I. C. qui te custodiat ab hoste maligno, et perducat ad vitam sempiternam.* Pro devotione locus est formulae ordinariae. *Corpus D. N. I. C. custodiat etc.*

33. S. Viaticum et saepius ab aegro peti potest, et aegro administrari debet, et si jejunis non sit. Juxta Rituale Parisiense: *Quod si per aliquod tempus in eodem periculo constitutus remaneat, vel, postquam periculum mortis evaserit, denuo in illud incidat, et sacram Viaticum iterum petat, annuet ipsi Parochus, dummodo saltem dies decem ab altera Viatici sumptione intercesserint.*

34. Illud utriusque communioni infirmorum commune est , quod etiam juxta modernam disciplinam ea reservetur Parocho, missis Regularium privilegiis, quae ad proprias Ecclesias restringuntur, ut ad domos infirmorum extra casum necessitatis haud porriganter. Jure novo lata est censura excommunicationis in Regulares, qui Clericis, aut Laicis *extra suas Ecclesias* Sacramentum Eucharistiae administrare, non habita super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali, praesumpserint. Clem. I. de Privil.

35. Reliquum est inde Parochi officium, ut paratus, promptusque sit diu, noctuque, quantum opus est, infirmis administrare Sacramentum. Quid aequius Decreto Synodi Buscoducensis ? Nunquam tamen, inquit, Pastor, tempore nocturno, aut alias, quantumvis importuno vocatus, cum id infirmi statutus postulat, ab officio faciendo se excuset, gravissime puniendus, cuius culpa infirmus non munitus Sacramentis e vita excesserit.

36. Monet tamen Rituale, cendum esse Parochis, ne ad indignos cum aliorum scandalo Sacramentum deferaatur: quales sunt publici usurarii, concubinarii, notorie criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi se prius sacra Confessione purgaverint,

Synod.
Buscod.
Tit. 7.
c. 15.

*et publicae offensioni prout de jure,
satisfecerint.*

37. Nec deferendum est Sacramentum ad aegros, quid illud sumere non possunt, aut non volunt. Vat. Manuale Cameraense, Sacramentum in domos deferri *ad adorandum, seu devotionis causa ostendendum*. Quippe Sacramentum nec ad hoc institutum est, neque hanc consuetudinem habet Ecclesia Dei. Si tamen aliquando accedit inopinato, quod aeger, vi morbi correptus, illud sumere nequeat, ut illi tunc recte administrari non possit, Parochus cum aliis, qui adsunt, oret: et, si aegrotus optet, aperta pixide, liceat ostendere adorandum, *sed non detur ad osculandum*. Atque hoc casu Parochus non desit officio, aegrum instruendi, et monendi, ut illud sumat spiritualiter, per desiderium scilicet, votum et fidem vivam, quae per dilectionem operatur, consolando eum his verbis S. Augustini: *Crede et manducasti.*

38. Honorius III. mandat Sacerdoti, ut S. Eucharistiam *in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, et referat manifeste, ac honorifice ante pectus, cum omni reverentia, et timore, semper lumine praecedente, cum sit candor lucis aeternae, ut ex hoc apud omnes fides, et devotio augeatur*. Refert. c. 10. de Celeb. Miss.

S. Aug.
Tract. 25.
in cap.
VI. Joan.

39. Inde recentioribus constitutionibus frequenter cautum est, ne SS. Sacramentum unquam, nisi necessitas inevitabilis appareat, clanculo, aut quasi in occulto ad aegros deferatur, etiam si infirmus frequentius communicare vellet, aut nollet aegritudinem suam inde propalari.

40. Reliquae ordinationes decernunt, ut, ad conciliandum populi concursum, comitatumque Sacramenti augendum, cum campanae pulsu signum detur, Confraternitatesque instituantur. Ex Decreto S. Caroli in Concilio Modiolanensi IV. *Parochus hortetur, et curet, ut unusquisque Paterfamilias praesertim dato campanae signo, quo S. Eucharistiae ad aegrum deferendae significatio fit, sine mora in Ecclesiam Parochialem conveniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei, candelaeve lumine prosequendam etc.*

41. In latina Ecclesia solemnissime auctus est cultus publicus SS. Sacramenti, repertis Ostensoriis et Monstrantiis per Processiones, et Expositiones sanctissimi Venerabilis, quibus progressu temporis festivitas corporis Christi argumentum, et exemplum tribuit, profusis indulgentiis, quibus recentiores Pontifices tam laudabiles institutiones stiparunt. Clem. un. de Relig. et Venerat. SS.

Conc.
Mediol.
VI. Tit. 9.

Cap. 5.
De cult.
SS Ve-
nerab.

42. Tridentina Synodus declarat, pie, et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse morem, ut singulis annis peculiari quodam, ac festo die praecelsum hoc, ac Venerabile Sacramentum singulari veneratione, ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter, et honorifice illud per vias, et loca publica circumferretur.

Trid. sess.
13. de
Euchar.
c. 5.

43. Quum vero labentibus saeculis indiscretior usus solemnium harum processionum, et expositionum aliquando obrepisset, Concilium Coloniense Ann 1452. vetare voluit, quod deinceps ipsum SS. Sacramentum nullatenus visibiliter in quibuscumque Monstrantiis ponatur, aut deferatur, nisi in sanctissimo Festo Corporis Christi cum suis Octavis semel in anno, in qualibet civitate, aut oppido seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii; aut alias pro pace, aut alia necessitate imminentia, ex indispositione, rempublicam praegravante.

44. Inde SS. Congregatio frequenter decidit, non licere Regularibus, ut cunque exemptis, etiam in eorum Ecclesiis sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex publica causa, quae probata sit ab Ordinario.

45. Cavendum, ne nimia expositionis frequentia minuat reverentiam. Que-

rebatur Gropperus Archiepiscopus Colonensis: *Venerabile Sacramentum in processionibus nimis crebro circumferatur, et populo plus nimio, et plerumque palam spectandum exhibetur — utinam Deus ea corrigat, iisque, ut ea corrigan, inspiret, qui ex ratione functionis suae corrigeret jure obligantur.*

46. Resectis corruptelis providendum est, ut Venerabile, si justa causa expонendi est, decenti, cultu, et ornatu producatur. In Concilio Mediolanensi IV.
Conc. Me-
diol. P. 2. c. 3. statuit S. Carolus, ut, dum Venerabile exponendum est, Processio in exponendo SS. Sacramento per Ecclesiam agatur, Lytaniis statisque Antiphonis, precibus, et orationibus cum cereis accensis: itidemque in eo reponendo servetur.

47. In reliquis omne punctum solidam devotio populi fert, qui inde sedulo instruendus est, quomodo, et qua de causa Venerabile exponatur: ut nimirum Christus ibidem, sub speciebus panis vere, et realiter praesens, tanquam verus Deus pro nobis homo factus cultu latriae adoretur, atque specialis memoria passionis ejus recolatur, majorique quasi fiducia, praesente Advocate nostro, ad thronum gratiae accedamus.

*48. Quid salubrius, quam ex sententiis Patrum nonnulla tam piae, et justae fiduciae

fiduciae argumenta subnectere? Ait S. Chrysostomus: *Ne animo concidamus, qui carnem suam, et sanguinem ipsum nobis communicavit; quid pro salute nostra recusabit facere?* Ex sententia Salviani: *Extendit Deus super spes nostras munera sua, et quod maximum, et rarissimum est, dona illius etiam tua vota vicerunt.* Juxta S. Hieronymum: *Quotidie hoc convivium celebratur, quotidie Pater filium recipit, semper Christus credentibus immolatur.* En verba S. Petri Chrysologi! *Christianæ, inquit, qui se tibi hic ad manducandum dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum.* Quid brevius sententia S. Bernardi? *Quid melius seipso dare poterat, vel ipse.*

s. Chrys.
hom. 2.
ad Pop.
Ant.

Salvian.
L. 2. ad
Eccl. Cat.

S. Hier.
ep. ad.
Damas.

S. Petr.
Chrys.
ferni. 67.

S. Bern.

TITVLVS V.

De Celebratione Missarum.

CAPVT I.

De Liturgiarum Origine, et Diversitate.

I. Declarat S. Synodus Tridentina: *Cum natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam instituit, caeremonias-*

Van-Espen J. Eccl. P. II.

E

Trid. sess.
22. de Sacrif.
Miss. cap. 5.

que adhibuit — ex apostolica disciplina, et traditione, quo et Majestas tanti sacrificii, et Sacramenti commendare-tur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis, et pietatis signa ad rerum altissimarum, quae in hoc sacri-ficio, Sacramentoque latent, contem-plationem excitentur.

S. August. 2. Hunc processum, complexumque
ep. 54. SS. Rituum, et caeremoniarum Litur-giam appellare placuit, quia ordo prae-scriptus est, quo augusta illa Sacra con-secranda, dispensandaque sunt. Ait S.
Augustinus: *Et ideo (Christus) non pree-cepit, quo ordine deinceps sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias dispo-situs erat, servaret hunc locum.*

S. Justin. 3. Veterem liturgiam S. Justinus ita
Apol. 2. delineat: *Die solis, inquit, omnes, qui
in oppidis, vel in agris morantur,
conveniunt in eundem locum. (domum
privatam) Omnibus coactis Commen-taria Apostolorum, aut scripta Pro-phetarum, quantum per tempus licet,
leguntur. Lectore quiescente, Praesi-dens orationem, qua populum instruit,
et ad eorum, quae pulchra sunt, imi-tationem adhortatur, habet. Tum simul
consurgimus omnes, et praecationes
fundimus; Et sicut jam diximus, fini-tis praecationibus nostris, panis offer-tur, vinum, et aqua. Consimiliter Prae-positus ipse, quantum potest, vota, et*

gratiarum actiones effundit; et populus fauste acclamat, dicens: Amen. Et distributio, communicatioque fit eorum, super quibus gratiae sunt actae, cuique praefenti: absentibus autem per Diaconos mittitur.

4. Labentibus saeculis pro locorum, temporumque diversitate, et Ecclesiarum libertate, et necessitate variae Liturgiae non modo in Oriente, sed et in Occidente, quas recensere longum foret, innotuerunt. Hac occasione rescriperat ad S. Augustinum in Angliam S. Gregorius: *Mihi placet, ut five in Romana, five in Gallicana, five in quilibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus Omnipotenti Deo placere possit, sollicite eligas.* — — Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt.

S. Greg.
lib. I 2.
ep. 32.

5. Quid inde supereft, quam, ut quisque privatus ritum suae Ecclesiae, sui que aevi religiose colat? Inquit S. Augustinus: *In his rebus, in quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi Dei, vel instituta Majorum pro lege tenenda sunt: de quibus, si disputare voluerimus, et ex aliorum consuetudine alios improbare, orietur interminata luctatio.*

S. August.
ep. ad Ca-
fui. 36.

6. Veteres Missam publicam dixere, ad quam populus convenire solebat, ut proprio Pastore Sacra perciperet. Quippe

Cap. 2.
De Miss.
Publ.

dicta est Missa publica, solemnis, conventionalisque a confluxu populi circumstantis, offerentis, communicantisque. S. Gregorius eo sensu frequenter meminit Missarum publicarum, quas vetat in Monasteriis, aut aliis Oratoriis privatis fieri.

c. 6. XVIII. q. 2.

7. Quippe ad unionem servandam facere visum est, ut quisque in sua Parochia a proprio Pastore sacris institueretur, imbuereturque. Hac occasione veteres Canones censuram saepe strinxere, si quis diutius a Missa Parochiali abfasset, aut alibi diebus festis, et Dominicis interesse Sacris maluisset. Refert Decretum Concilii Nannetensis Gratianus

c. 4. IX. q. 2.

8. Sub finem Saeculi XV. suborta est in Germania quaestio inter Parochos, et Rectores Ecclesiarum, Mendicantesque Ordines, qui jactabant, populum recentioribus privilegiis religiosorum Ordinum dispensari a pracepto frequentandi die dominico, aut festivo Missam Parochiale. Sixtus IV. ea occasione decidit, ut Fratres Mendicantes non prae dicent, populos Parochianos non teneri audire Missam in eorum Parochiis diebus dominicis, et festivis, cum jure veteri, novoque cautum sit, illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia. — — Non obstantibus constitutionibus, et ordi-

nationibus Apostolicis, ac privilegiis eisdem fratribus in genere, vel in specie concessis. Refert Decretum Extrav.
Com. c. 2. de Treug. et Pac.

9. Praevalente remissione disciplinae Concilium Tridentinum praecepit Episcopis, ut moneant populum frequenter ad suas parochias, saltem diebus dominicis, et majoribus festis accedere. Cum ergo olim saeverius contra absentes a Missa Parochiali procederetur, hodie tantum praescribuntur monita ad illam frequentandam.

Trid. sess.
22. Deer.
de Obs.
et evit.
in celebr.
Miss.

10. Superefst in Decreto Gratiani Capitulare Theodulphi Aurelianensis, eo tenore: *Et hoc attendendum est, ut Missae peculiares, quae per dies solemnnes a Sacerdotibus inferioribus fiunt, non ita in publico fiant, ut propter eas populus a publicis Missarum solemnibus, quae hora tertia (juxta computum ecclesiasticum) canonice fiunt, abstrahatur.* Refert Gratianus sub epigrapha S. Augustini. c. 52. D. 1. de Conf. et ibi Corr. Rom.

11. Hoc exemplo recentiores Synodi passim decreverunt, ut durante officio Parochiali nullibi Sacra celebrarentur. En Concilii Turonensis de Ann. 1585. Decretum! *Ne, inquit, praetextu divinorum officiorum, quae in aliis Ecclesiis, quam paraecialibus celebrari solent, revocari aut distrahi (Parochiani) pos-*

Synod.
Turon.
c. 15.

fint, majorem Missam, et vespertas in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, et Monasteriis, post paraeciale officium peractum, tantum debere inchoari decernimus. Quod, ut commodius fiat, Episcopi, seu eorum officiales, ipsis Rectoribus, seu Paraecis certas horas, quibus majorem Missam, et vespertas in suis Ecclesiis celebrare teneantur, ita praescribant, ut paraecialibus divinis peractis, ipsi Paraeciani ad Cathedralem, Collegiatas, aliasque Monasteriorum Ecclesias, ad divina in his audienda, pro sua devotione se transferre valeant.

12. Reliquae Synodi inde horam officii Parochialis ita definierunt: a festo Paschae usque ad festum S. Remigii, seu Calendas Octobris, Missa Parochialis celebretur hora octava, vel circiter; a Calendis vero Octobris usque ad Pascha, hora nona. Hoc Decretum est Synodi Mechliniensis Diaecesanae de Ann. 1609. Juxta Concilii Turenensis Decretum. Nec prius, nec tardius celebrent hi, quibus incumbit, etiam nobilium, vel aliarum Personarum favore, aut precibus, minis, seu comminationibus in contrarium non praevalitulis.

13. Jure novo et campanas Paraeciales, quibus signum datur ad conventum Missae Parochialis, a campanulis parti-

Synod.
Mechl.
Tit. II.
c. 6.

cularium Oratoriorum, seu Regularium Ecclesiarum distinguere placuit. Ecclesiae enim Parochialis est plures, et maiores campanas habere. Regularibus praescripsit Joannes XXII., ut unam tantum, et minorem campanulam ad Sacra facienda adhibeant. *Extrav. Com. c. un. de Offic. Custod.*

14. Missa Parochialis specialiter offeratur pro populo illius Parochiae: insuper in Missa Parochiali non tantum Evangelium legi, aut cantari debet, sed etiam explanari, et a Parocho populus instru: five ipsa concio Missae Parochiali jungi debet. Praecipit Concilium Tridentinum, Trid. fest. 24. c. 7. ut Episcopi curent, ut Parochi inter Missarum solemnia, ac divinorum celebrationum sacra eloquia, et salutis monita, vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanent.

15. Ait in Concilio Mediolanensi IV. S. Carolus: Curent Episcopi, quod veteris Ecclesiae instituti est, sermonem, sacramque Concionem ubique inter Missarum solemnia, lecto Evangelio, potissimum haberi, five ab illo eodem Sacerdote, qui Missam celebrat, five ab alio habeatur.

Conc.
Mediol.
IV. P. I.
Tit. de
verb. Dei
Praedic.

16. Scribit Walafridus Strabo: fa-tendum est, illam Missam veteri ordine esse legitimam, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, atque communicans; sicut ipsa compositio pre-

Cap. 3.
De Miss.
Privat.
Wal.
Strab. de
Reb. Eccl.
e. 22.

cum evidenti ratione demonstrat. Scilicet, si desunt communicantes, Missa non est legitima quoad illum finem, quo spiritualis populi fidelis nutritio exhibetur. Quippe juxta antiquos Patres soli communicantes, missis Catechumenis, et poenitentibus, aliisque, qui se ad communionem non paraverant, sacris Mysteriis interesse confueverant: hoc enim ipsa confectione Sacramentorum innuit, in qua Sacerdos non pro sola sua oblatione, et communione, sed et aliorum rogat, et maxime in oratione post communionem pro solis communicantibus orare videtur. Nec proprie communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participant. Haec Micrologus observat.

Microl. de
Obs. Eccl.
c. 51.

Trid. sess.
22. de
Sacr. Miss.
c. 6.

17. Hoc argumento et Concilio Tridentino in votis stetit, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communarent, quod ad eos SS. hujus Sacrificii fructus uberior proveniret,

Morin. de
Poenit.
Lib. 8.
c. 14.

18. Si fides Morino est: *Consuetudo moderna corpus Christi propter fideli- um communionem reservandi recens est, a Monachis primum inducta, deinde ab aliis plerisque usurpata, quae nondum tamen Romani ritus Rubricas expungere potuit.*

19. Rituale Romanum Pauli V. haec praescribit: *Communio autem populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet — cum orationes, quae in Missa post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.*

Rit. Rom.
de Sacr.
Euchar.

20. In quantum vero Sacrificium institutum fuit, ut Deo per illud supremus cultus exhibeatur, precesque pro populo fundantur, et Missas privatas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, probat, commendatque S. Synodus, *siquidem illae quoque Missae vere communes, et publicae censi seri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet; partim vero, quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.*

Trid.
Supr.

21. Saeculo IX. invaluerunt Missae privatae, quae dicebantur solitariae, eoquod Sacerdos solus etiam nemine ministrante, aut praesente eas privatim, et solitarie perageret. Missae hae primum in Monasteriis fuerunt frequentatae, et sensim etiam a Presbyteris saecularibus celebrabantur: fuerunt vero a pluribus Synodis reprobatae, prout patet ex Decreto Concilii Parisiensis VI. *Irrepit, inquit, in plerisque locis,*

Con.
Paris.
lib. I.
c. 48.

partim incuria, partim avaritia reprehensibilis abusus, et congrua emendatione dignus, eo quod non nulli Presbyterorum sine Ministris Missarum solemnia frequentent. Quod nec verba Domini Salvatoris, quibus Mysteria corporis, et sanguinis sui celebranda tradidit; nec Apostoli Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enucleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde convenientius, imo interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis, et sanguinis Domini solitarius Consecrator, quibus dicit: DOMINUS VOBISCUM, et a quo illi respondet: ET CUM SPIRITU TUO, vel pro quibus Domino supplicando inter caetera: Memento Domine, et omnium circumstantium, cum nullus circumstet, dicit: quae consuetudo, quia Apostolicae, et Ecclesiasticae auctoritati refragatur, et tanto Mysterio quandam inhonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in communi visum est, ut deinceps hujusmodi usus inhibeatur; provideatque unusquisque Episcoporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyterarum Missam solus celebrare praesumat. Ecce rationes, quibus vigilantia Pastoralis veteri mori inhaerendum censuit, ut mox in ortu gliscentes corruptelas reprimeret.

22. Refert Gratianus Decretalem Pseudo-Soteris, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare prae sumat, nisi duobus praesentibus, sibique respondentibus, ipse tertius habeatur: quia, dum pluraliter ab eo dicitur: DOMINUS VOBISCUM; et illud in secretis: ORATE PRO ME: apertissime convenit, ut ipsius respondeatur salutatio ni. Ergo jam eo tempore, quo spuriae Decretales innotuerant, invaluit, ut Missa paucis respondentibus celebrari posset. c. 61. D. i. de Conf.

23. Viguit praeteritis saeculis satis diu usus, quod Ministros Altaris oportet esse Clericos. Statuit S. Carolus in Synodo Diaecesana IV., ut in Missae etiam sacro non Laicus, sed Clericus, qui Altari ministrat, semper ad hibeatur. Et mox: In omni igitur Parochiali Ecclesia illum talem Parochus habeat.

S. Carol.
Decr. 28.

24. Spretis tantis Canonibus supereft nunc usus, quod Missas, ministrante quodam folido, aut rudi puerulo, quotidie fieri videamus. An tam indignus Minister alienus a tanta gravitate divini Mysterii videri non posset? Sane confuetudo, vel corruptela, nisi citius eradicetur, in privilegium, et jus assumitur, ut pro lege venerari incipiat. c. 3. D. VIII.

Cap. 4.
De Oblat.

25. Quum veteri more omnis populus, qui sacris Mysteriis adstabat, communionem perciperet, quisque et suam partem Sacrificii offerrebat, ut ad ipsius incruenti Sacrificii oblationem sese concurrere singuli ostenderent. Hinc S. Cyprianus cuiquam mulieri dedit vitio, quod se ab illa collatione, et oblatione dispensare vellet. *Locuples, inquit, et dives est; et Dominicum te celebrare credis, quae in Dominicum sine Sacrificio venis, quae partem de Sacrificio, quod pauper obtulit, per communio-* *nem sumis.*

Conc.
Matisc.
e. 4.

26. Concilium Matisconense II. sub finem saeculi VI., dolens veterem oblationum usum lanquescere, decernit, *ut in omnibus dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris, et foeminis offeratur tam panis, quam vi-* *ni, ut per has oblationes et peccatorum suorum fascibus (id est, onere,* *et congerie) careant, et cum Abel,* *vel caeteris juste offerentibus prome-* *reantur esse consortes.*

Conc.
Nan. c. 9.

27. Saeculo IX. Concilium Nantense praecepit Sacerdoti, *ut de oblationibus, quae offeruntur a populo,* *et consecrationi supersunt, partes incisas habeat in vase mundo, quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Hae partes Eulogiae distae sunt, quibus in nonnullis Ecclesiis*

successit panis benedictus. Nobilibus, Patronis, aliisque Benefactoribus erogandus, quia honorificis juribus accentetur.

28. In Ecclesia orientali Eulogiarum vulgaris est usus. Testatur Cabasilas : *Sacrificio peracto Sacerdos oblatum panem, ex quo sacrum panem abscedit, in multa divisum tradit fidelibus ; ut qui sanctus sit, eoquod templo fuerit dedicatus, et oblatus. Illi autem cum reverentia suscipiunt, et dextram deosculantur.*

29. Supereft in Concilio Nannetensi vetus formula benedicendi Eulogias eo tenore: *Domine S. Pater, aeterne, omnipotens Deus, benedicere digneris hunc panem tua sancta, et spirituali benedictione, ut sit omnibus salus mentis, et corporis, atque contra omnes morbos, et universas inimicorum infidias tutamentum etc.*

30. Rarefcente fideliū communione populares oblationes panis et vini exleverunt. Ait Honorius Augustodunensis: *Quia populo non communicante non erat necesse, tam magnum panem fieri, statutum est, eum in modum denarios formari; et ut populus pro oblatione farinae denarios offerret. Qui tamen denarii in usum pauperum, qui membra sunt Christi, cederent, vel in*

Cabasil.
in Expos.
liturg.
c. fin.

supr.

Honor.
Aug. in
Gem.
Anni.
c. 58.

aliquid, quod ad hoc Sacrificium pertinet.

Christ.
Lup.
diff. 2.
proem.
ad Tom.
3 Schol.
in can.
c. II.

31. In crisi Christiani Lupi haec puritas, quod non esset Apostolicae legis, et quod priorum oblationum emolumentis aut non possent, aut nollent privari Sacerdotes, non diu permanfit: ut antea panis, vinum, et farina, ita et hi denarii illis pedetentim appropriari coeperunt. Et haec ubique fere est hodierna disciplina, quod oblatia inter Missarum solemnia cedant Sacerdoti, nisi alio titulo alteri competere ostendantur.

Ibi.

32. Reliquum rerum successum refert citatus auctor: *Hinc obavitam populi de Cleri avaritia, et nimis preventibus calumniam, defecit paullatim etiam denariorum oblatio, contracta fere ad solam Missam in exequiis defunctorum etc.*

Synod.
Colon.
c. 20.

33. Synodus Coloniensis Ann. 1549. restitutura pias oblationes Altaris, tum dolet, quod hominibus piis causam, et originem offerendi ad altare ignorantibus et impiis cupiditate Sacerdotum usum illum introductum calumniose afferentibus, vetus fidelium pietas exaruisset; tum Sacerdotibus praecipit, ut pro suggestu populo justas rationes illarum piarum oblationum (utpote ut gratitudinem vel exigui munusculi oblatione pro rebus acceptis Deo contesten-

tur, quoque etiam preces Ecclesiae in eos conquadrent) exponant, quia Deus non tam ad dona, quam piam voluntatem respicit, et si locupletes, et divites conveniat esse liberaliores, quo gratitudinis de se amplioris signum praebant, et testentur, se a Deo, ad Dei honorem, et cultum habere, quidquid habent.

34. En S. Caroli in Concilio Mediolanensi IV. rationes! *Oblationum*, inquit, *institutum*, quo gravius his temporibus a fidei, doctrinaeque Catholicae hostibus exagitatur, et lanquescente pietatis studio, quo magis a fidelibus negligitur, hoc diligentius servari, utque ad executionis usum, per viam instructionis, et admonitionis, ubi intermissum est, revocari convenit, cum praesertim et ad cultum divinum pertineat, et populis salutare, per modum eleemosynae, sit, ad expianda que peccata utile; omni modo current Episcopi, ut in solemnitatibus Domini, diebusque Dominicis, ac festis item, quos coli aut praecepsi, aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid, prout sua quisque pietate, devotione que maluerit, Deo offerre procurret, idque in Ecclesia vel Cathedrali, cum ad Missae Sacrificium, quod solemniter celebratur, vel in Parochiali cum Parocho convenerit.

Cone.
Mediol.
P. 2. c. 15.

Cap. 5.
De Stip.
Miss.

35. Remisso fervore communium oblationum increvit usus stipendiorum, et honorariorum, quae a privatis tum ante, tum post missam Presbytero celebranti ea lege praebentur, ut particulatim pro ipsis Missam applicet. Meminit harum eleemosynarum jam suo aevio Chrodegangus, ut eas sibi reservare possent Canonici.

Chrodeg.
in Reg.
Canon.
c. 32.

Eug. II.
c. 17.

36. Inter ea saecula Laicis obrepfit, quod quisque ob modicam stipem sibi Missas arrogaret. Hac occasione Eugenius II., et Leo IV. in Synodis Romanis decreverunt: *Presbyteri nullius blandiantur, aut suadeantur sermonibus, ut non omnium ad se concurrentium in quibuslibet sacris locis oblationes ad Missarum solemnitates recipiant: quia, cum Mediatores Dei, hominumque existunt, in exercendis votis, relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere.*

Strab. de
Reb.
Eccl.
c. 22.

37. Hinc Walafridus Strabo popularem errorem ita reprimit: *Sed et in hoc, inquit, error non modicus videtur, quod quidam se non aliter posse plenam commemorationem eorum facere, pro quibus offerunt, nisi singulas oblationes pro singulis offerant: vel pro viuis, et defunctis non simul aestimant immolandum, cum vere sciamus, unum pro omnibus mortuum, unum panem esse, et sanguinem, quem Ecclesia uni-*

versalis offert. Quod, si cui placet, pro singulis singulatim offerre, pro solius devotionis amplitudine, et orationum augendarum delectatione id faciat; non autem pro stulta opinione, qua putat, unum Dei Sacramentum non esse generale medicamentum.

38. Rejecto tam rudi errore nostra aetate nihil frequentius est, quam stipendia praeberi sub stricta obligatione, ut pro singulis Missa fiat. Sic S. Congregatio Ann. 1625. auctoritate Urbani VIII. declaravit: *Ubi pro pluribus Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcunque incongrua, et exigua, sive ab una, sive a pluribus Personis collata fuerint, aut conferuntur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conventibus, Congregationibus, dominibus, ac locis piis quibuscunque tam saecularibus, quam Regularibus, S. Congregatio sub obtestatione divini iudicii mandat, ac praecipit, ut absolute tot Missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint, ita, ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quin imo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur.*

39. Hinc Alexander VII. Ann. 1665. proscripsit illam propositionem: *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendum accipere, et Sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendum, quod pro nullo alio offeram.* Absit, ut haec Decreta quidquam valoris infiniti sacrificiivel minuant, vel definiant, ut uberiorem fructum offerenti eleemosynam, reliquis fidelibus exclusis, conciliarent. Quippe juxta Decretum Concilii Tridentini quae-

Trid. sess. 22. de Sacrif. Miss. c. 6. vis Missa eatenus publica, et communis est, *quod a publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, aut pro eo, qui obtulit stipendiuni, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebretur.*

40. Quo ergo haec Decreta spectant? Non alio sane, quam ut consulant, repressa avaritia sacerdotum, devotionis amplitudini, et integritati. Postquam enim invaluit, stipendum offerri Sacerdoti ea lege, ut pro offerente singillatim Missa dicatur, justitiae leges non ferunt, ut uno sacrificio, contra fidem tacite, vel expresse datam, pluribus stipendiis satisfieri possit.

41. In reliquis monendus est populus, ne stipendum Missae velut quoddam pretium Sacrificii spectet, aut ul-

tra spectet, quam piam oblationem ad consequendum fructum precum, quas Sacerdos signanter pro offerentibus recitat. Monendus et est, ne quisquam in numero, et multitudine, magnitudineque stipendorum nimium confidat, persuasus, quod simplici oblatione virtutem sacrificii sit consecuturus. Absit. Deus non tam ad oblationem, ad commendationem, quam ad affectum respicit. Haec enim illa juxta Concilium Tridentinum est conditio: *si vero corde, et recta fide cum metu, et reverentia, contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus.*

Cap. 2.

42. Hinc pauperes non minus, ac dientes illius Sacrificii participes esse possunt, modo ferventi charitate, et viva fide Sacrificio adsint, memores, quod Sacerdos omnium circumstantium memoriam specialiter faciat, *quorum Deo fides cognita est, et nota devotio.* Hujus rei causa supereft Ecclesia paeceptum, ut populus diebus dominicis, et festis Missarum solemnibus devote affistat.

43. Directorium Coloniense in eo usu stipendorum monet Sacerdotes pecularius: *ut, si quando nihil, aut minus aliquid liberali animo honorarii loco eis donatum fuerit, non in hoc contristentur, minimeque aliquod indignationis dent indicium; quin potius, ut ostendant se magno, liberalique animo*

Cap. 6.
De caut.
Sacerd.
Direct.
Col. lib. r.
de Div.
offic.
n. 53.

gratis dare, quod gratis acceperunt;
ab omni cogitatione, et desiderio mu-
noris, ac honorarii se semper conti-
neant; et si quando aliquid accipere
cogantur, illud quamvis exiguum lae-
tiore, libentioreque animo accipient,
quam paupercula illa vidua aera mi-
nuta duo, quae sola habebat, in ga-
zophylacium mittebat.

44. Ita enim dubium non est, et haec honoraria, veluti fidelium oblationes in sustentationem Ministrorum factas, non secus, ac alias oblationes bonis ecclesiasticis esse accensendas, et juxta eorum conditionem dispensandas, ut non possint non aberrare illi, qui stipendia haec Missarum aliis bonis patrimonialibus, aut industrialibus, vel et profanis proventibus aequiparare contendunt: cum enim compertum sit, haec honoraria successisse in locum oblationum popularium, consequens est, quod surrogatum sapiat naturam illius, cui surrogatur.

45. Quid salubrius Concilii Toletani de Ann. 1324. Decreto: *Cum, inquit, dictum Sacramentum, sacrificiumque super omnia pretiosum sit, liberaliter, sicut caetera Sacra menta, celebrandum: distictius prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed gratae accipiat, si aliquid*

Conc.
Tolet.
c. 6.

per facientem Missas celebrari oblatum
sibi charitable fuerit, absque pacto,
et conventione quacunque etc.

46. Enimvero turpis quaestus, avaritiaque quodvis genus gravissime in reverentiam tanti Sacrificii peccat. Praecipit Synodus Tridentina Episcopis, ut e medio tollant *imprimis* *cujusvis* *mercedum conditiones*, *pacta*, et *quidquid* *pro novis Missis* *celebrandis* *datur*, nec non *importunas*, atque *illiberales eleemosynarum exactiones* potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniae, mentalis faltem, labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt.

47. Ait Zosimus Papa: *facit hoc nimia remissio Confacerdotum nostrorum* (Episcoporum) *qui pompam multitudinis* *quaerunt*, et *putant*, ex hac *turba* *sibi* *aliquid dignitatis* *acquiri*. *Hinc* *passim* *numerosa* *popularitas*, *etiam* *in locis*, *ubi* *solitudo* *est*, *talium* *reperiatur*, dum *Parochias* *extendi* *cipiunt*, aut quibus aliud praestare non possunt, *divinos Ordines* *largiuntur*. *Quod districti* *semper esse oportet* *judicii*. *Rarum enim est omne, quod magnum est*. Refert. c. 2. D. 59.

48. Viderint mea pace de tanta indiscretione hi, quorum est rationes districti judicii aliquando reddere. Regulis et novi juris sanctius est (in ordinatione

Trid. sess.
22. Decr.
de Ob-
serv. et.
evit. in
Celebr.
Miss.

*maxime Sacerdotum) paucos bonos,
quam multos malos habere Ministros.
Hac brevi cautela sequior numerus, vel
abusus quaestuariorum Mystellarum rescin-
di posset. c. 14. de Ætat. et Qual. et
et Ord. Praefic.*

Cap. 7.
De fun-
dat. et
Anni-
vers.

Synod.
Coyae.

49. Corruptis saeculis numerum quae-
stuariorum Mystellarum p̄aeprimis auxisse
videbantur Anniversaria, et reliquæ
fundationes Missarum. Veteri more pro
celebratione Anniversariorum proven-
tus in Collegiatis, et Regularibus Ec-
clesiis ad ubiores refectiones fratrum
(quas charitates, et pitantias vocabant)
reliquasque eleemosynas recidebat. Sy-
nodus Coyacensis Ann. 1050. hinc sta-
tuit: *Clerici, et Laici, quia ad con-
vivia defunctorum venerint, si panem
defuncti comedant, ut aliquid boni
pro ejus anima faciant; ad quae ta-
men convivia pauperes, et debiles pro
anima defuncti vocentur.*

50. Jure novo haec convivia inter
Canonicos, qui a communi convictu re-
cesserant, in denarios degenerarunt,
qui, ad exemplum distributionum quotidi-
anarum, tantum inter praesentes di-
stribuendi sunt. *c. un. de Cler. non re-
sid. in 6.*

51. Hoc exemplo et Celebranti, Mi-
nistrisque assistentibus honoraria assigna-
ri cooperant, idque pro ratione solem-
nitatis, qua celebranda sunt Anniversa-

ria; insuper numus aliquis fabricae Ecclesiae, pro impensis in sacrificium, et ornamenta faciendis, constitutus est.

52. Reliquae Fundationes Missarum, quae vel quotidie, vel saepius per hebdomadem, per mensem, per annum, celebranda sunt, stipendia, et honoraria multiplicarunt. Meminit Alexander III. quotidianae Missae, quam Capitulum Ecclesiae Insulensis fundavit. Hac occasione rescripsit Pontifex, Sacerdotem, cui illud beneficium collatum est, frequentius (*salva honestate sua, et devotione debita*) teneri Missarum solemnia celebrare. c. 11. de Praeb.

53. In Concilio Compostellano de An. 1056. prima Missae quotidianae recurrit mentio: *Ut omnes Sacerdotes, Episcopi, atque Presbyteri Missam quotidie celebrent.* Ait Mabillonius. Et quidem id maxime probandum, si modo Sacerdotum omnium mores tanti Mysterii dignitati, et sanctitati respondeant, abeffet sordidus quaestus, et lex confuetudinis, quae in trivialem usum degenerat.

Mabill.
Praef. ad
P. 2. faec.
VI. Be-
ned.
n. 95.

54. Refert Innocentius III., Caelestinum III. talem praebendam in duas inde divisisse, quia *uni Presbytero esset nimis onerosum, divina singulis diebus celebrare.* Quid ergo? Censet Fagnanus, statutum, vel pactum, quo

Innocent.
III. lib. 2.
Registr.
p. 487.

Fagn. ad
c. II. de
Praeb.
n. 8.

Sacerdos obligatur ad unam Missam quotidie celebrandam, *ex ipso jure* hanc interpretationem admittere, ut illam, quanto frequentius, salva honestate, et devotione poterit, celebret. Atque huic moderationi in reliquis locus est, si Sacerdos *per se* obligatur quotidie Missam dicere. Enimvero, si in fundatione, aut institutione expressum non sit, ut ille Presbyter *per se* Missam quotidie dicat, cessat illa ratio honestatis, et devotionis, quam Pontifex pro principio moderationis adduxit, quia praescripta Missa potest quotidie per alium celebrari.

55. Sub Urbano VIII. decidit S. Congregatio, satis esse, quod Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti elemosynam congruam, seu honorarium secundum morem civitatis, vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius beneficii aliter cautum fuerit. Si autem Sacerdoti aliunde, quam titulo beneficii, oblata fuerit major elemosyna pro celebratione Missae, quam per alium facit celebrari, tenetur eandem integrum celebranti reddere, quia nullus titulus legitimus ipsi supereft, ut partem stipendi oblati posset sibi retinere.

56. In reliquis et eum, qui titulo beneficii Capellaniam pro dicendis Missis possidet, meminisse oportet, ut se

dignum ministrum Ecclesiae exhibeat, quia omne beneficium datur propter officium c. 15. *de Rescr. in 6.* Absit, ut pinquiores redditus suffragentur ad alienam otiosam, aut deliciosa vitam. In Concilio Tridentino multi, et pii optassent, similia beneficia extingui, aut aliis uniri, vel aliter reformari.

57. Synodus Tridentina monet Episcopos, ut curent, fidelium vivorum Suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, aliaque pietatis opera, quae a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiae instituta, pie, et devote fieri, et, quae pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur, non perfunctorie, sed a Sacerdotibus, et Ecclesiae ministris — accurate, et diligenter persolvi.

58. Alibi S. Synodus Tridentina facultatem reliquit Episcopis, ut in Syndico diaecesana, itemque Abbatibus, et Generalibus Ordinum, ut in suis Capitulis Generalibus, re diligenter perspecta, possint pro sua conscientia in praedictis Ecclesiis, quas hac provisione minuendarum Missarum, reliquarumque obligationum indigere cognoverint, statuere circa haec; quidquid magis ad Dei honorem, et cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire. Spectat Decretum tum

Trid. sess.
25. Decr.
de Purgat.

Trid. sess.
25. c. 4.

veteres , tum recentiores fundationes .
Et quidem in illo usu rariorum Synodorum Episcopi propria auctoritate reducere solent in nostris regnis has , illasque fundationes , praeterita Urbani VIII . Constitutione , quae vetat , has reductio-
nes vel extra Synodus Diaecesanam fieri , vel porrigi ad fundationes post Concilium factas , inconsulta S. Sede . Quippe haec Bulla extra Italianam recepta
haud censetur .

Cap. 8.
De Orat.
et Alt.
Port.

59. Inter recentiores abusus Concilium Tridentinum et illam irreverentiam tanti Sacrificii proscriptis , quam indiscretior usus dispensationum , et Privilegiorum , celebrandi in altari portatili , seu viatico quovis locorum genuit . Honorius III. hujus Privilegii meminit . c. 30. de Privil.

Conc.
Laod.
c. 58.

Nov. 58.
Praef.

60. In veteribus Canonibus saepe cau-
tum fuit , ne sacra Mysteria alibi , quam in publico caetu fidelium fierent . En Decretum Concilii Laodiceni ! Quod , in-
quit , non oportet in domibus fieri oblationes ab Episcopis , aut Presby-
teris .

61. Quid disertius Novella Justiniani Imp. ? *Omnibus interdicimus magnae hujus civitatis (Constantinopolis) habitatoribus , magis autem etiam nostrae ditionis totius , in domibus suis habere quasdam , quasi orationum domos , et in his sacra Mysteria celebrare etc.*

62. In Occidente saeculis barbaris invaluit, quod Dynastae ruri sua Oratoria erigerent, conducturi sibi Sacerdotem, qui illis procul a Parochiali Ecclesia domi sacra faceret. Concilium Ticinense ita queritur: *Quidam Laici, et maxime Potentes, ac Nobiles, quos studiosus ad praedicationem venire oportebat, juxta domos sues Basilicas habent, in quibus divinum audientes officium ad majores Ecclesias rarius venire consueverunt etc.*

Synod.
Ticin.
c. 7.

63. Refert Agobardus, Lugdunensis Archiepiscopus, gliscentem corruptelam eo tenore: *Increbuit consuetudo impia, ut pene nullus inveniatur anhelans, et quantulumcunque proficiens, ad honores, et gloriam temporalem, qui non domesticum habeat sacerdotem, non, cui obediatur, sed a quo incessanter exigat licitam simul, atque illicitam obedientiam, non solum in divinis officiis, verum etiam in humanis. — Et quia tales, de quibus hac dicimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non possent (nam quis esset bonus Clericus, qui cum talibus hominibus de honestari nomen, et vitam suam feret?) non curant omnino, quales sint illi Clerici, quanta ignorantia caeci, quantis criminibus involuti; tantum, ut habeant vel ex servis propriis, vel alienis Presbyteros proprios,*

Agobard.
de Priv.
et Jur.
Sacerd.
c. 12.

*quorum occasione deserant Ecclesias,
Seniores, et officia publica Sacrorum.*

64. Vetus cautela supereft et hodie in stylo ordinario pro concessione Oratoriorum, ut, si quis extra Parochias, in quibus legitimus est, ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas audiat — — permittimus: Pascha vero Natali Domini, Pentecoste, et si qui maximi dies in festivitatibus habentur, nonnisi in civitatibus (seu Cathedralibus, reliquisque publicis Ecclesiis) aut in Parochiis audiant. Refert.
c. 35. D. i. de Conf.

Trid. sess.
22. Decr.
de Evit.
et Obs.

65. In reliquis monet Synodus Tridentina Episcopos, ne patientur privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda, et visitanda (sublato indiscretiore Altarium portatilium privilegio, et usu) sanctum hoc Sacrificium a saecularibus, aut Regularibus quibuscumque peragi. Absit vero, ut inde Concilium Episcopis ademerit facultatem conceendi Oratoria privata, si justa causa appareat, ut nulli abusua locus sit.

Cap. 9.
De Reliq.
caut. pro
Rever.
S. Sacrif.
Trid.
supr. sess.
23. c. 16.

66. Exemplo veterum Canonum Synodus Tridentina Episcopis, ad justam reverentiam divino Sacrificio, missis irreverentiae occasionibus, conciliandam commendat, ut singuli in suis diae-

*fibus interdicant, ne cui vago, et ignoto
Sacerdoti Missas celebrare liceat. Et ali-
bi : Nullus Clericus peregrinus sine
commendatitiis sui Ordinarii literis,
ob ullo Episcopo ad divina celebra-
da , et Sacraenta administranda ad-
mittatur. Praevalentibus enim vagis or-
dinationibus majus periculum imminet,
ne inter illos ignotos; et peregrinos Cle-
ricos quidam ad sacra Altaria obrepant,
qui multis titulis divina Mysteria pro-
fanare audeant.*

67. His literis oportet non tantum
susceptorum Ordinum, sed et morum
legitimam fidem fieri. *Synodus Burdi-
galensis Ann. 1583. vetat quemquam
alienae diaecefis ad celebrandum in qua-
cunque Ecclesia admitti, nisi acceptas
ab Ordinario suo litteras, sibi concesse
facultatis, et anteaclae vitae, morum-
que ac religionis testes exhibeat; quae
antiquiores non appareant, quam quae
intra annum scriptae sunt.*

Synod.
Burd.
Tit. 5.

68. Relinquitur discretioni Parochi ,
ut et hos, literis Ordinarii instructos , a
Sacris in sua Ecclesia arcere possit, quia
ei haud praeceptum est, tu eos admit-
tere debeat. Quinimo recentiores Syno-
di Parocco praecipiunt, ut a sacris re-
pellat Sacerdotes , quos novit aut pridie
temulentos , aut in notorium crimen
lapsos , aut impudicitiae , quamvis se-
cretae reos , aut mala fama notatos ,

Conc.
Mediol. I.
Tit. 5.

aut quaeſtum ex celebratione Missae ſe-
ctantes. Sic S. Carolus in Concilio Me-
diolanensi I. statuit : *Sacerdotes, qui
publice, et notorie criminosi fuerint,
a celebratione arceantur, niſi emendata
vita ſceleris maculam eluerint.*

Trid. ſeff.
22. Decr.
de Evit.
et obſerv.

69. Praecipit S. Synodus Tridentina
iþi Sacerdoti celebranti, ut non aliter
*Missam celebrare incipiatur, niſi prius,
qui interfint, decenter compoſito cor-
poris habitu, declaraverint, ſe mente
etiam, ac devoto cordis affectu, non
ſolum corpore adere.*

Ibi de Sa-
crif. c. 5.

70. Refectis his, aliisque vitiis com-
mendat S. Synodus Paſtoribus, ut ad
uberiorem fructum SS. Sacrificii perci-
piendum, frequenter inter Missarum
celebrationem, vel per ſe, vel per alios ex-
iis, quae in Missa aguntur, aliiquid expo-
nant; atque inter caetera hujus SS. Sa-
crificii mysterium aliquod declarent, die-
bus praesertim dominicis, et festis.

Conc.
Mog.
c. 58.

71. Concilium Moguntinum de Ann.
1549. monet, ut ſcilicet diſcant et iþi
fideles ſuam, totiusque Christiani orbis
ſalutem tam ſalutaris, et gratae ho-
ftiae interventione, et Christi meritis
Deo Patri commendare.

Conc.
Rem. de
Euchar.
N. 5.

72. Synodus Remensis Ann. 1583.
hortatur Laicos, qui inter eos doctiores,
reique Christiane peritiores extiterint,
praeclarius agent, ſi loco precum privata-
rum ex ſcripto, vel libro recitandarum,

*a praefatione, quae mysteria pertransi-
tantur, animo defixo mentisque fer-
vore complectantur, atque contem-
plentur.*

73. Inde ad mentis collectionem fa-
cere visum est, ut sub summo Sacro
aliquando prohiberentur Missae privatae:
*Ne simultanea illa plurimorum cele-
brantium turba doceri domus Dei,
aut mysteriorum venerationi, aut gra-
vitati aliquid decedat.* Est haec refor-
mationis formula sub Carolo V. Ann.

1550.

74. Inter haec tempora perspexit et
Synodus Tridentina, recentiorem illam
mollitatem, et lasciviam, sonum, et stre-
pitum musices esse alienissimum a de-
core domus Dei, reverentia, et gravi-
tate cultus divini. *Ab Ecclesiis vero,*
inquit, *musicas eas, ubi sive organo,*
sive cantu lascivum, aut impurum ali-
quid miscetur: item saeculares omnes
actiones, vana, atque profana collo-
quia, deambulationes, strepitus, cla-
mores arceant Episcopi, ut domus Dei
vere domus Orationis esse videatur,
ac dici possit.

Trid.
Decr. de
Evit. et
Observ.

75. Concilium Cameracense de Ann. 1565. hanc dat instructionem: *In Mis-
sis, quae in choro canuntur — quae-
dam ad doctrinam pertinent, et eru-
ditionem fidelium, ut Epistola, Evange-
lium, Symbolum: quaedam ad laudes,*

Synod.
Cam. Tit.
7. c. 3.

quaedam vero ad preces — — quae ad eruditionem leguntur, aut canuntur, ita legantur, et canantur, ut praesentes distincte exaudire singula verba possint. Quare in symbolo canendo placet, nec organa, nec musicam adhiberi, nisi sit simplex, ac talis, ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quae vero ad laudes pertinent, ut sunt hymni, Gloria in Excelsis, Sanctus, in his musica locum habeat, sed nec lasciva, nec choreis potius, quam choro congrua, sed gravis, ac movens pios affectus. Quae vero in Missis ad preces referentur; sic siant, ut affectus potius deprecantis, quam exultantis laetitia demonstretur. Absit, ut reliquas corruptelas usus, vel diutina observantia, vel Praelatorum negligentia a censura Canonum excusare queat.

S. Greg.
Naz.
Orat. I.

* 76. Quid aliquando in tanta remissione disciplinae tandem imminet, quam terribile degenerum Sacerdotum Judicium? Ais S. Gregorius Naz.: In universum autem illud apud nos constat, quod, quemadmodum in sublimi, et pendulo fune gradientibus in hanc, vel illam partem deflectere minime tutum est, nec etiam parva inclinatio parvum periculum affert, verum eorum salus in aequilibrio posita est; ad eundem quoque modum utramvis in partem quispium sive ob improbitatem vitae,

sive

sive ob imperitiam propenderit, haud
leve periculum tum ipsi, tum iis, qui-
bus praeeft, imminet, ne in peccatum
prolabantur. Ex sententia S. Chryso-
stomi: Neque licet imperitiam, aut quod-
vis aliud praejudicium excusare, neque
ad ignorantiam confugere, neque aut
necessitatis, aut violentiae speciem ob-
tendere, quandoquidem, qui delega-
tus est, ut alienam emendet ignoran-
tiā aut aliena peccata expiat, tum
vero diabolicum instare bellum denun-
tiat, is profecto ignorantiam pree-
tendere minime poterit, neque vocem
hanc usurpare: tubam non audivi:
bellum non providi etc. Quo nomine
supplicium nulla excusatione depellere
poterit, quamvis vel unius duntaxat
animae jactura accideret. Juxta S. Hie-
ronymum: Non igitur est facile stare
loco Pauli, tenere gradum Petri jam
cum Christo regnantium. Ecce! inquit
Isidorus Pelusiota, Opus est haec res,
non ludus, atque animi oblectatio:
cur — non luxus? munus referendis
rationibus obnoxium, non imperium
ab omni censura liberum, atque im-
mune; paterna procuratio, non tyran-
nica, aut ludicra licentia; dispensato-
ria praefectura ad propriam, alienam-
que salutem conciliandam, non ejus-
modi potestas, quae sub reddendarum
rationum necessitatem minime cadat.

S. Chrys.
de Sa-
cerd. lib.
6. c. I.

S. Hier.
ep. I. ad.
Heliod.

S. Isid.
Pel. lib. 3.
ep. 216.
ad Pallad.
Diac.

TITVLVS. VI.

De Sacramento Poenitentiae.

CAPVT I.

De Diverso Nominе, et Generе Poenitentiae.

1. Poenitentia apud veteres diversis nominibus effertur. Dicitur ab effectu reconciliatio, ab accusatione poenitentis Confessio, ab externa caeremonia manus impositio, ab absolutione Sacerdotis communio, et pax, a justificacionis gratia secunda post naufragium tabula, ab operius satisfactionis laboriosus Baptismus. *Trid. sess. 14. de Poenit. cap. 2.*

2. Vulgare nomen Poenitentiae a contritione superest, qua peccator erratum suum detestatur. *Continue dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictio- nis virtus. Poenitere est enim poenam tenere, ut semper in se puniat ulciscen- do, quod commisit peccando.* Refert sub epigraphe S. Augustini. c. 4. D. 3. *de Poenit.*

Trid. sess.
14. de
Poenit.
Sacr.
cap. 4.

3. Declarat S. Synodus Tridentina: *Contritio, quae primum locum inter dictos Poenitentiae actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato com- misso, cum proposito non peccandi de caetero. Fuit autem quovis tempore*

*ad impetrandam veniam peccatorum
hic motus contritionis necessarius etc.*

4. Quantum ad Confessionem ex institutione Sacramenti — universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integrum peccatorum confessionem, et omnibus post baptismum lapsis jure divino necessariam existere etc.

5. Quippe Sacramentalis haec Confessio haud simplex, aut nuda est relatio peccatorum, sed humili accusatio sui ipsius, ut anima ad curationem disponatur, et disposita per reconciliationem sanetur. Ex quibus S. Synodus colligit, non tantum peccatorum seriem esse exponendam, sed et circumstantias, quae speciem peccati mutant, aut insigniter aggravant; quod sine illis peccata sua neque a poenitentibus integre exponantur, nec judicibus innotescant, et fieri nequeat, ut de gravitate criminum recte censere possint, et poenam, quam oportet, pro illis poenitentibus imponere.

6. Quid opus est satisfactione? Sane, inquit S. Synodus, et divinae justitiae ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipientur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccati, et daemonis servitute liberati, et accepto Spiritus S. dono, scienter templum Dei

Trid.
cap. 8.

*violare, et Spiritum S. contristare non
formidaverint etc.*

Cap. 2.
De publ.
et priv.
Poenit.

7. In reliquo usu disciplinae olim poenitentia publica viguit. Et quidem huic non modo peccata publica, sed et occulta Cleri, populique, si ex canonicis fuissent, subdebantur. Stetit tamen vetus differentia, quod occultis criminibus secreto tum poenitentia imponeretur, tum et absolutio tribueretur; publicis autem peccatoribus publica Poenitentia, publicaque absolutio ab Episcopo impendebatur. Inquit Canon Concilii Carthaginensis III. : *Ut Poenitentibus secundum differentiam peccatorum Episcopi arbitrio Poenitentiae tempora decernantur, et ut Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet poenitentem nisi, absentia Episcopi necessitate cogente. Cujuscunque autem poenitentis publicum, et vulgatissimum crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante absidem (hoc est, in gremio navis Ecclesiae) manus ei, ad agendum poenitentiam, imponatur.* Hoc Decretum in duas partes divisum, refert Gratianus tum c. 14. *XXVI. q. 6.* tum c. 5. q. 7.

8. Eluxit et alia differentia, quod pro peccatis occultis Poenitentiae exactio esset spontanea, at publici peccatores per censuras ad subeundam Poenitentiam publicam cogebantur. Meminit hujus

differentiae S. Augustinus. c. 18. et 19.

II. q. 1.

9. Inde a saeculo VII. invaluit quod Poenitentia publica nonnisi publicis criminibus reservaretur, quia occultis peccatis Poenitentiam privatam decernere placuit. Hac occasione publici peccatores non modo per censuras ecclesiasticas, sed et poenas civiles adigi ad dignam Poenitentiam agendum caeperunt. Concilium Cabillonense II. Ann. 813. statuit, ut a Ludovica Imperatore impetretur adjutorium, qualiter, si quis publice peccat, publica mulctetur poenitentia, et secundum ordinem Canonum pro merito suo excommunicetur.

Conc.
Cabil.
cap. 25.

10. Recentius Scholastici inter Poenitentiam solemnem, et publicam distinxerant. Sic ad solemnem Poenitentiam referunt, quod ab Episcopo decernenda, tollendaque sit; quod nonnisi semel tribuatur, quod praescripsit solemnitatibus imponenda, peragendaque sit. Hunc enim restringunt. c. 64. et passim D. 50.

11. Jure novo peccatis publicis Poenitentia simpliciter publica decernitur. Refertur vetus Decretum: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.* Quid enim rationi, justitiaeque divinae congruentius, quam ut Poenitentia sit peccatis, utpote publica pu-

blicis, proportionata? c. i. de Poenit.
et Remiss.

Trid. sess.
24. c. 8.

12. Juxta Decretum Synodi Tridentinae quando igitur ab aliquo publice, et in multorum conspectu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos, commotosque fuisse, non sit dubitandum; huic condignam pro modo culpae Poenitentiam publice a Sacerdote injungi oportet; ut, quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suae emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicae hoc poenitentiae genus in aliud secretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.

Cone.
Mediol. I.
Tit. quae
pert. ad
facr.
Poen.

13. En S. Caroli in Concilio Mediolanensi I. Decretum: Idem Confessarii, inquit, quemadmodum a S. Synodo Tridentina jussum est, publice peccantibus publicam Poenitentiam (v. g. peregrinationem cum baculo, et pera benedicta) imponant, neque illud Poenitentiae genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia Poenitentia commutare audeant.

14. Caeterum Episcopi publicam Poenitentiam in usum revocare allaborent? Inquit S. Carolus in Concilio Mediolanensi III. Studeat Episcopus ad sacrorum Canonum, et Concilii Tridentini praescriptum pro publicorum delictorum gravitatis ratione, et publicam,

Cone.
Mediol.
III. de
iis, quae
ad facr.
Poenit.
pert.

et solemnem Poenitentiam in usum revocare, ut publicum scandalum reparatur, poenitensque eos, quos malo suo exemplo ad malos mores provocavit, emendationis suae testimonio ad rectam vitam reducat.

15. Ab antiquis tanti momenti estimatum est, condignam, et sceleribus coaequatam Poenitentiam agere, ut non modo Episcopi, quorum erat Poenitentiam dictare, sed etiam ipsi criminum rei doctissimos quosque, et in Canonum lectione optime versatos diligenter consulerent. Plerumque sententia in Synodis redditâ est. Hujus enim argumenti sunt singuli fere Canones Eliberitani, Anoyrani, Nicaeni, Arelatenses. Saepe et Pontificem adire libuit, ut is Poenitentiam Canonibus institutam integre, et juxta Canonum placita, men-temque definiret. Supereft exemplum illius consultationis in Decreto c. 17.
XII. q. 2.

Cap. 3.
De Can.
et libr.
Poenit.

16. Quum saeculo VIII. impositio Poenitentiae, praesertim pro peccatis occulis ad Presbyteros devolvi caepisset, placuit ex Decretis Conciliorum, et sententiis Patrum illos Canones, regulasque, qui, quaeve ordinem Poenitentiae spectant, feligere, ut in unum volumen collecta mox cuique Presbytero in promptu essent ad justam Poenitentiam

Conc.
Paris. lib.
I. c. 32.

decernendam. Statuit Ann. 829. Concilium Parisiense VI. ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia instituat Presbyteros, qualiter et confitentium peccata audire, eisque congruum modum Poenitentiae, secundum canonicam auctoritatem noverint imponere. Quoniam haetenus eorum incuria, et ignorantia multorum flagitia manserunt impunita.

17. In veteri ordine Poenitentiae canonicae diversorum graduum, quos et stationes dixerunt, occurrit mentio. Horum plerumque quatuor recensentur. Ordines enim erant poenitentium, quibus successive ascendere oportebat ad perfectam reconciliationem, communioneque promerendam. Sic decernit S. Basilus: *Debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii etc.*

S. Basil.
c. 56.

Ibi.

18. Primum ergo ordinem Fletum dixerunt; Poenitens enim, ejectus ex Ecclesia, ante fores Ecclesiae precabatur fideles, ut pro ipso intercederent. Inquit S. Basilus: *Et fideles ingredientes in Ecclesiam rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians.* En summam hujus stationis! unde nihil ad eos pertinebat Missa Catechumenorum: nullae super eos preces fundebantur: imo nec ad praedicationem admittebantur. In latina Ecclesia haec statio ut minimum septem saeculis ignota erat;

licet nonnulli ante fores Ecclesiae stare consuevissent, fidelium intercessionem merituri, id tamen voluntarie, ac sine determinatione temporis faciebant.

19. Secundus gradus dicebatur Audi-
tio. Juxta S. Gregorium Thaumaturgum.
Auditio est intra portam in Narthece,
ubi oportet eum, qui peccavit, stare
usque ad Catechumenos, et illinc egre-
di. Audiens enim scripturas, et doctrinam
ejiciatur, et precatione indignus
censeatur. Habeatur enim velut Eth-
nicus, et Catechumenus, de quibus san-
xit Canon Carthaginensis : Episcopus
nullum prohibeat ingredi Ecclesiam us-
que ad vestibulum, et audire verbum
Dei, sive Gentilem, sive Haereticum,
sive Iudaicum, usque ad Missam Ca-
techumenorum. Sed in nullis, nisi in
Poenitentibus, auditio instar stationis
*erat, quia aliis, ut ibi starent, in poen-
nam, aut poenitentiam injunctum haud
erat.*

20. Ex sententia S. Gregorii *subje-*
ctio seu substratio, veluti tertia statio
poenitentialis est, ut *intra portam tem-*
pli stans cum Catechumenis egrediatur.
Toto tempore hujus stationis crebrae
fiebant manus impositiones, subjunctionis
precibus super Poenitentes. Praecipit
Concilium Cathaginense IV. *Omni tem-*
pore jejunii manus Poenitentibus a
Sacerdotibus imponantur. Hic locus

S. Greg.
Ep. Can.

Conc.
Carth.
c. 80.

erat, in quo varia opera laboriosa, jejunia, vigiliae, eleemosynae, aliaeque castigationes, et mortificationes, pro cujusque vulneris ratione, exigebantur. Plerumque haec statio reliquis prolixior erat, ut delictum expiaretur: unde et statio, velut essentialis, semper viguit.

S. Basili.
c. 75.

21. Ait S. Basilus: *Postquam Poenitentiae fructus dignos ostenderit, decimo anno in fidelium orationes suscipiatur sine oblatione; et cum duobus annis una cum fidelibus ad orationem substiterit, sic deinceps dignus habeatur boni communione.* Haec statio conscientia dicta est, in qua Poenitentibus jus erat, Missae fidelium usque ad finem assistendi; sed sine oblatione, et communione. Haec enim correlativa erant, ut, qui communicarent etiam offerrent, si haberent. Instituta in reliquis haec censura fuit, ut post toleratas graves molestias Poenitentiae in statione substractionis aliquanto tempore explorarent Patres, an iis liberati vitam ducerent fidei dignam, qua mererentur ad S. Eu- charistiam tuto admitti.

22. His stationibus fere singulis fixa erant a Canonibus tempora. En Decretum Felicis III. *Tribus annis inter audi-entes sint; septem autem annis sub- jaceant inter poenitentes manibus Sa- cerdotum. Duabus annis oblationes modis omnibus non sinantur offerre,*

Felix III.
ep. 7.

*sed tantum saecularibus in oratione
socientur.*

23. Poterant Episcopi, praescripta tempora, vel minuere, vel augere, si et in quantum conversatio poenitentis mereri videretur. Juxta Decretum Concilii Ancyranum: *Episcopi modo conversationis examinato potestatem habeant, vel utendi clementia, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem et praecedens vita, et quae consecuta est, examinetur, et sic eis clementia impertiatur.*

Conc.
Ancyranum.
c. 5.

24. Hoc exemplo spectat etiam ad Episcoporum discretionem, ut poenitentem ex inferiore statione, praeterita media ad superiorem transferre uno saltu possent, si poenitens, in ea statione ita conversatus, ferventer Poenitentiam ita peregisset, ut de ejus solidiore conversione dubitandi nullum locum reliquisset c. 86. *D. 1. de Poenit.*

25. En S. Gregorii Nysseni justas rationes! *Quemadmodum enim, inquit, porcis margaritas projicere est vetitum, ita et pretiosa margarita privare eum, qui jam per alienationem a vitio, et purgationem homo factus est, absurdum est. Quid discretius? Si videant, quod peccatores diligentiori conversatione usi fuerint, et ita ad id, quod bonum est, redditum ostenderint, liceat ipsis (Episcopis) pro ecclesiastisi-*

S. Greg.
ep. ad
Leont.
c. 4.

cae Oeconomiae utilitate, tempus contrahere; et celerius ad conversionem deducere.

Hinem.
Rem. ca-
pit. Presb.
art. 13.

26. Absit tamen, ut quisquam locus personarum acceptioni datus sit. Praecipit Hincmarus Remensis in Capitulis, *ut nemo Presbyterorum a quocunque poenitente aut gratiam, aut favorem, aut munus suscipere praesumat, aut minus poenitentem ad reconciliationem adducat, et ei testimonium reconciliationis ferat, et quocunque livore alium quemlibet dignius poenitentem a reconciliatione removeat.* Vettatur id ipsum et novo jure c. 14. de Simon.

27. Stetit hic usus poenitentialium Canonum in Ecclesia latina fere usque ad saeculum XII. At eo ineunte exterior ille rigor tum in actione Poenitentiae, tum in reconciliatione poenitentis successive decrescere, et obsolescere caepit, tum ob peregrinationes, et expeditiones, tum ob remissiones, et redemptiones; tum denique ob incuriam, et injuriam temporum. Hac occasione praevaluit fere universalis Confessariorum sententia, Poenitentias quascunque in foro conscientiae esse arbitrio Sacerdotum relictas.

28. Remisso vigore Canonum Poenitentialium praevaluit corruptio morum.

Querebatur Concilium Toletanum III :
Quoniam comperimus, inquit, per
quasdam Hispaniarum Ecclesias non
secundum Canones, sed faedissime ho-
mines pro suis peccatis agere Poenitentiam, ac, quoties peccare libuerit,
toties a Presbyteris se reconciliari po-
stulent. Ideo pro coercenda tam ex-
crabili praesumptione a sancto Conci-
lio jubetur - ut secundum formam Ca-
nonum antiquorum detur Poenitentia.

Cap. 4.
de Rem.
Can. Poe-
nit. di-
scipl.
Conc.
Tolet.
III. c. II.

29. Refert uberioris querelarum ge-
nus Concilium Parisiense VI. Deplorat
S. Synodus, quod multi Saecerdotum,
partim ignorantia, modum poeniten-
tiae, reatum suum confitentibus fecus,
quam Canones decernunt, freti suo ar-
bitrio imponant, — et ob id non vul-
nera curant, sed potius foventes pal-
pant, incidentes in illud Propheticum.
Vae! qui consuunt pulvilos sub omni
cubito manus, et faciunt cervicalia ad
decipiendas animas. Quanta inde ruina
animatorum ! quam exiguus, vel nullus
fructus Poenitentiae ! nonne hodie con-
tingit, quod foedissime pro maximis sae-
pe peccatis Poenitentia agi videatur,
quia quoties peccare libuerit, toties a
Presbyteris reconciliari postulant, et
sperant ?

Conc.
Parif. VI.
lib. I.
c. 32.

30. Quid praevalente remissione di-
sciplinae salubrius inde Episcopis super-
est, quam ut juxta Decretum Concilii

Parisiensis Presbyteros, quos ad confes-
siones excipiendas feligunt, solerti stu-
dio instituant, qualiter, et confitenti-
um peccata discrete inquirere, ipsis
que congruum modum, secundum ca-
nonicam auctoritatem, Poenitentiae
imponere noverint.

31. Enimvero censuit et recentius S.
Carolus, studium Canonum Poeniten-
tialium Confessariis in directione Poe-
nitentiae esse saluberrimum, missis li-
bellis putidorum Casuistarum. Concili
Parisiensis VI. vetus querela fuit, quod
vulgaris incuria, et ignorantia Confel-
fiorum inde proveniret, quia codicil-
lis contra canonicam auctoritatem
scriptis, quos Poenitentiales vocant,
fallebantur, ut delectabantur. Pertinet
ad auctoritatem Episcopi, tam perni-
tiosos libellos, qui hactenus in scholis
et Seminariis omne punctum ferre vi-
debantur, diligenter perquirere, et in-
ventos igni tradere, ne per horum scan-
dalum, et praejudicium imperiti Sacer-
dotes poenitentibus justoplus conniveant.
Trid. sess. Juxta Tridentinum Decretum monen-
14. de tauri confessarii, procul ab omni sequiore
Poeuit. affectu, quantum spiritus, et pruden-
Sacr. cia suggesserit, pro qualitate crimi-
c. 8. num, et poenitentium conditione salu-
tares, et convenientes satisfactiones
injungere. — Habeant autem praeo-
culis, ut satisfactio, quam imponunt,

non sit tantum ad vitae novae custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam, et castigationem.

32. Veteri more, qui obtinuit, quod absolutio non daretur, nisi post exactam vel ex integro aut ex parte satisfactionem, uberior locus fuit deliberandi de injungenda, et attemperanda salutari, et convenienti Poenitentia; tunc enim in tanto tractu temporis negotium inter plures versabatur, qui sinceritatem, et soliditatem conversionis, et conversationis explorabant. Hujus ad exemplum foret et hodie gravioribus peccatoribus consultum, ut aliis confiterentur ad consilium, et Poenitentiam injungendam, aliis ad benedictionem, et absolutionem promerendam, aut saltem uni eo moderamine saepius confiterentur. Supereft, ni fallor, hujus rei argumentum e. 5. de Poenit. et Remiss.

33. Novo jure, et usu recidit ad discretionem Confessarii, poenitenti justam satisfactionem, tum ad emendationem vitae; tum ad expiationem peccatorum decernere. Inquit Pontifex: *Sacerdos autem sit discretus, et cautus, ut more periti medici superinfundat oleum, et vinum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati; quibus prudenter intelligat, quale ei praebere*

Cap. 5.
De Mo-
dern. Poe-
nit. di-
scpl.

*debeat consilium, diversis experimen-
tis utendo ad salvandum aegrotum.*
Refert. c. 12. de Poenit. et Remiss.

Trid.
supr.

34. Id ipsum multiplex pro discrecio-
ne Poenitentiae officium Medici, Judi-
cis, et Consiliarii ad mentem veterum
Canonum uberioribus rationibus com-
mendat, et illustrat S. Synodus Triden-
tina. *Nam, inquit inter alia, claves
Sacerdotum non ad solvendum dunta-
xat, sed et ad ligandum concessas e-
tiam antiqui Patres et credunt, et do-
cent.*

35. Quid supereft, nisi, ut ad instar
periti Medici Confessarius et animae vul-
nera, et aegri conditionem, ac spiri-
tuale temperamentum explorare, et
spectare debeat, ut, iis rite expensis,
non unam eandemque omnibus, iisque
plane disparatis morbis medicinam ex-
hibeat; sed singulis eam, quae iis me-
dendis congruat? En Synodi Audoma-
rensis justum monitum! *Confessarii in-
quit, confessione audita injungant Poe-
nitentibus salutares Poenitentias, pec-
catis commissis, quantum fieri potest,
contrarias — pro peccatis igitur lu-
xuriaje jejunium praecipient, et absti-
nentiam, pro avaritia eleemosynam,
pro furto aut rei alienae detentione
primo restitutionem, deinde orationes,
et eleemosynas, pro ira mansuetudi-
nis opera, pro superbia humilitatis,*
pro

Synod.
Audom.
Tit. 7.
c. 13.

pro peccatis spiritualibus meditaciones, orationes, et similia, prout observaverint, Poenitentium saluti expedire posse.

36. Haec, aliaque uberioris S. Carolus commendat. Inter quae notatum dignius est monitum illud, *ut liberior sit confessarius in exequendo officio, quod illi cum Poenitente est, majoreque apud eundem auctoritate habeatur in decernendis iis omnibus, quae ad Poenitentis salutem referuntur, non solum fugiet studiose avaritiam, sed etiam omnem ejus vel minimam suspicionem.* Ecce exempla: Cum Poenitenti jubebit, *ut Missae sacrificium faciat uspiam peragi, nec directe, nec oblique significet, quasi ipse vellet celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.* Prosequitur S. Carolus: *Idem faciat in satisfactionibus iis, cum poenitens vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit.* En aliud: *Neque pecunias, aliave, quae a Poenitente restituenda sunt propriis dominis, in se provinciam reddendi assumat, nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc, vel illo modo Poenitens non prodatur, quod cum ab eo erit factum, curet, ut is, cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud Poenitenti*

S. Carol.
Instruct.
Confess.
P. 2. c. 8.

*consignet, ac plus eo modo procedat,
ut omnem speciem, ac signum avari-
tiae subterfugiat.*

37. Praeprimis hac, et reliqua inte-
gritate opus Confessariis est, ut nobili
illo officio Medici, Judicis, et Consi-
liarii, procul ab omni partium studio,
salubriter erga Poenitentes fungantur.
Absit, ut quaedam commoda vel lucra
temporalia occasione confessionis sibi,
vel suis concilianda, consequentur, quia
munera plerumque excaecant corda sa-
pientum, et mutant verba justorum.
*Queritur Dominus: Violabant me ad
populum meum propter pugillum hor-
dei, et fragmen panis, ut interficerent
animas, quae non moriuntur, et vi-
vificant, per indiscretionem absolu-
tionis, animas, quae non vivunt, men-
tientes populo meo credenti mendaciis.*

38. Est ergo, etiam hodie Canones
veteres Poenitentiales nosse, et salu-
berrimum, et necessarium Confessariis,
tum, ut criminum gravitas, et diver-
sitas inde pateat, tum, ut Poenitentem
veteri rigore terreant, tum, ut de ac-
celeratione, vel procrastinatione recon-
ciliationis non tam ex verbis, quam
ex operibus Poenitentis ad mentem, et
rationes veterum Canonum statuant,
tum denique, ut ipsis Sacerdotibus re-
gulae directivae in promptu sint, in
quibus tanquam in speculo videant, quae

Ezech.
c. 13.

Poenitentiae ex mente SS. Patrum illis,
hisque peccatis convenientes judicatae
fuerint. Praecipit in Concilio Mediola-
nenſi l. S. Carolus: *Confessores Cano-*
nes Poenitentiales bene noverint, ju-
dicaturi pro conditione temporum, per-
ſonarum, aliarumque circumſtantiarum,
qualiter has Poenitentias moderari, aut
mutare oporteat.

Conc.
Mediol.
P. 2.
Tit. 6.

39. Audiantur S. Caroli rationes: *Pa-*
tres docuerunt, inquit, quam necessa-
ria admodum fit Sacerdotibus Cano-
num Poenitentialium scientia. Etenim,
ſi omnia, quae ad poenitendi modum
pertinent, non prudentia ſolum ac
pietate, ſed iuſtitia etiam metienda
funt, certe norma haec a Canonibus
Poenitentialibus sumaturopoortet. Sunt
namque ii, quaſi regulae quaedam,
quibus tum ad culpae commiſſae gra-
vitatem recte dignoscendam, tum ad
imponendam pro illius ratione VE-
RAM POENITENTIAM Sacerdotes Confes-
sarii dirigantur, aut ibi ſingula, et
quae ad peccati magnitudinem, et quae
ad Poenitentis ſtatum, conditionem,
aetatem, intimumque cordis contriti
dolorem pertinent, accurate perpen-
derint; dum demum Poenitentiam ju-
dicio, ac prudentia ſua moderentur.

40. Et alibi: Ideo Sacerdos Canones
Poenitentiales conſulet, quibus licet
cum prudentia, diſcretione, modoque,

S. Carol.
praefat.
ad Can.
Poenit.

pro Poenitentis conditione, qualitate,
statu, aliisque circumstantiis uti de-
beat, observandi tamen sunt, ita, ut
juxta eos, quasi traditam sibi regulam
Sacerdos se gerat, prout expedire ei
vixum fuerit; et quando Poenitentiam
Canonum rigori conformem non impo-
net, tamen Poenitenti eam significabit,
ut ad contritionem eum moveat, et le-
viorem injunctam Poenitentiam ipse
ardentius exequatur, motus scilicet
ex hodiernae Ecclesiae benignitate, qua
antiquioris disciplinae rigor mitiga-
tur. Nihil procul dubio consultius, et
salubrius ad id propositum fuerit, quam
ut Episcopi exemplo S. Caroli ex variis
Conciliis, et Canonum collectionibus
Poenitentiale cujusque diaecesis pro-
prium disponi curarent, evulgaturi il-
lud ad justam institutionem Confessario-
rum.

Cap. 6.
De Minist.
Ord.
Poenit.
S. Cypr.
ep. II.

41. Enimvero proprium, et vetus
officium Episcoporum est, Poenitentiam
moderari. Conquestus est S. Cyprianus
de quibusdam Presbyteris, quod suo ar-
bitrio arrogassent Poenitentium recon-
ciliationem. *Audio, inquit, quosdam*
de Presbyteris, nec Evangelii memo-
res, nec, quid ad nos Martyres scri-
pserint, cogitantes, nec Episcopo ho-
norem Sacerdoti sui, et Cathedrae re-
servantes, jam cum lapsis communi-
care caepisse, et offerre pro illis, et

*Eucharistiam dare, quando oporteat
per ordinem ad haec perveniri. etc.*

42. Supereft vetus Decr. Cone. Carth.
II. eo tenore: *Ab universis Episcopis di-
ctum est, — reconciliare quemquam in
publica Missa Presbyteris, inconsulto
Episc., non licere.* Ref. c. I. XXVI. q. 6.

43. Juxta Decretum Concilii Nicae-
ni I. *In his omnibus examinare conve-
nit propositum, et speciem Poeniten-
tiae; quicunque enim et timore, et
lacrymis, et tolerantia, et bonis ope-
ribus conversionem reapse, non specie
tenus demonstrant, hi impleto audi-
tionis tempore, quod praefinitum est,
merito orationum communionem ha-
bebunt. Postmodum vero liceat Episco-
po humanis aliquid de iis statuere.*

44. Inde a saeculo VII. invaluit di-
scretio inter peccata publica, et occul-
ta, eo effectu, ut Poenitentia publica
nonnisi peccatis publicis reservaretur.
Hac occasione Episcopi nonnisi peccata
publica sibi reservare caeperunt, reli-
ctis peccatis occultis, quae ad discre-
tionem Parochorum ablegarunt. Hinc
Canones, et libri poenitentiales octavo,
et sequentibus saeculis conditi praecipue
ipsos Presbyteros, tanquam Poeniten-
tiae Ministros respiciunt, cum antiquio-
res Canones fere solos Episcopos instru-
erent, et Dispensatores Poenitentiarum
supponerent.

Conc.

Nic. c. 12.

45. Non tamen poterant omnes indiferenter Presbyteri indistincte quoslibet poenitentes reconciliare: sed ejusmodi auctoritas erat penes solos illos Presbyters, qui specialiter ad curam animarum tanquam proprii Sacerdotes erant populis praepositi, et deputati. Sic pluribus saeculis obtinuit, quod confessio facta alieno Sacerdoti invalida reputaretur, nisi licentia proprii Sacerdotis praecessisset. Cum aliter ille reum non possit solvere, vel ligare, c. 12. *omnis utriusque sexus de Poenit. et Remiss.*

46. Invaluerunt tamen novo jure Privelegia, quod nonnulli suo arbitrio possent Confessarium sibi eligere. Inquit Gregorius IX. *Ne pro dilatione Poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, et aliis Superioribus, nec non minoribus Praelatis exemptis, ut etiam praeter sui Superioris licentiam providum, et discretum sibi possent eligere Confessorem.*

47. Exortis Fratribus Mendicantibus, concessum iis fuit a variis Pontificibus ut Fidelium ad ipsos accendentium confessiones libere excipere, iisque convenientes Poenitentias, et debite dispositis absolutionem impertiri valerent, quibus etiam ipsi Episcopi eandem facultatem dare caeperunt.

48. Scribit Matthaeus Parisiensis, quod Gregorius IX. omnium primus in quadam Bulla omnibus Praelatis per An-

gliam constitutis mandaverit, ut *Fratres Praedicatores* benigne recipient, et populos sibi commissos sedulo admonent, ut ex ore ipsorum Verbi Dei semen devote suscipiant, confiteantur, cum ipsis (ait Papa) auctoritate nostra liceat confessiones audire, ac Poenitentias injungere.

49. Cum autem nonnulli Praelati Anglicani Fratres Praedicatores in hujus privilegii usu turbare viderentur, renuentes, eos sine licentia ab ipsis impetrata ad excipiendas confessiones admittere, hi Fratres recursum habuerunt ad Innocent. IV., qui Anno 1243. Bullam expedivit in favorem eorundem Fratrum, inscriptam Episcopis Vintoniensi, Vigoriensi, et Norwicensi, quibus praecipit, ut dictos Praelatos compescerent, iisque mandarent, ut juxta Apostolica scripta Fratribus Praedicatoribus permitterent libere fideliam confessiones excipere.

50. Dissidia haec inter Clerum saecularem, et regularem non tantum fervebant in Anglia, sed etiam in reliquas christiani orbis regiones se diffuderunt. In Gallia Religiosos Mendicantes omnium vehementissimus impugnavit Guilielmus de sancto Amore, edito quodam contra illos, eorumque privilegia opusculo, quod tamen postea ab Alexandro IV. fuit condemnatum. Contra eundem ejusdem Doctoris libellum scripsit S. Thomas Aquinas edito desuper opuscu-

lo, in quo nervose confutatis Guilielmi de S. Amore argumentis propugnavit privilegia Fratrum Mendicantium, signanter de audiendis Confessionibus. Habetus quoque plura S. Bonaventurae opuscula, quibus haec Fratrum Mendicantium privilegia tuetur.

51. Labentibus annis praeceptum confitendi proprio Sacerdoti ad annuam confessionem restrictum fuit. Hinc Martinus IV. Anno 1282. declarat, quod ii, qui Mendicantibus confitebuntur, *saltem suis Presbyteris Parochialibus semel in anno confiteri teneantur, prout Concilium Generale Lateranense IV. statuit.*

52. Bonifacius VIII. privilegia Papalia Regularium ita moderatus est, ut *Superiores illorum Ordinum se conservant per se, vel per Fratres, quos ad hoc idoneos fore putaverint, humiliter petituri a Praelatis (Episcopis) ut Fratres, qui ad hoc electi fuerint, in eorum civitatibus, et Diaecesisibus confessiones subditorum suorum confiteri sibi volentium audire libere valeant, et hujusmodi confidentibus (prout secundum Deum expedire cognoverint) Penitentias imponant salutares etc. Si vero iidem Praelati praefatis Fratribus ad confessiones (ut praemittitur) audiendas electis, hujusmodi licentiam exhibere recusarint, nos (ait Papa) ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri*

volentium, libere, licetque audire valeant, et eisdem poenitentias imponere salutares, atque eisdem absolutionis beneficium impertiri, gratiose concedimus de plenitudine Apostolicae potestatis. Refert. Extr. v. Com. c. 2. de Sepult.

53. Benedictus XI. tam angustos limites privilegiorum Regularium haud tulit. Declarat ergo, quod *libere auctoritate Apostolica absque licentia Diaecesanorum, et aliorum Praelatorum inferiorum exemptorum, et non exemptorum, quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata sua confiteri volentes.* Quippe in reliquis censuit Pontifex honori Diaecesanorum Praefulum satis consultum, quod *Provinciales, et Priores Praedicatorum, et Ministri minorum Ordinum praefatorum, per se, vel per alios, verbo, vel scripto, eis significant, se Fratres ad hujusmodi confessionum audiendarum, et poenitentiatarum injungendarum officium elegisse, et non nominando, aut coram ipsis sistendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter a Diaecsanis eisdem, quod electi Fratres de ipsorum beneplacito, et licentia dictum possint — officium exercere.* Quod si denegent, vel intra triduum non concedant, ex tunc iidem Fratres nihilominus auctoritate eadem hujusmodi

officium exequantur. Refert. Extrav.
Com. c. 1. de Privil.

54. Successit Clemens V., qui, re-
jecta, et abrogata Constitutione Bene-
dicti XI. privilegia Mendicantium ad li-
mites Decreti a Bonifacio editi restrin-
xit. Supereft Clementis V. Decretalis
Clem. 2. de Sepult.

55. Sixtus IV. saeculo XV. repressit
obtentus Mendicantium, qui praedica-
bant, Parochianos non esse obligatos;
saltem in Paschate proprio confiteri Sa-
cerdoti. Ait Pontifex. *De jure tenetur*
Parochianus saltem in Paschate pro-
prio confiteri Sacerdoti: Per haec ta-
men ipsi Fratres Mendicantes non cen-
sentur exclusi, quo minus secundum
juris communis, et Privilegiorum eis
concessorum dispositionem confessiones
audire, et Poenitentias injungere va-
leant. Extrav. Com. c. 2. de Treug. et
Pac.

56. Recentiores Synodi passim eam
Sixti IV. decisionem suam fecere. Sy-
nodus Atrebatis sub Franc. Richar-
doto Anno 1570. ita statuit: *Pastores*
diligenter considerent ovilia sua, et
inscribant singulos, qui (semel in an-
no saltem) confessi fuerint peccata pro-
pria, idque proprio Sacerdoti, aut
alteri idoneo, qui hujus rei potestatem
habeat ab ipso Pastore, ut intelligat
et plane cognoscat in suis gregibus,

Synod.
Atrebatis.
de Sa-
cram.
Poenit.
c. 2.

an sint aliqui, qui hoc sanctum Ecclesiae praeceptum negligant, quos tenetur notare, et deferre.

57. Quis sit singulorum proprius Sacerdos, exponit Anno 1583. Synodus Audomarensis his verbis: *Proprium autem Sacerdotem illum intelligi declaramus, cuius curae quisque proprius subiectus est. Sic Parochus proprius Sacerdos est Parochianorum suorum tam Sacerdotum, ac Clericorum Parochiae subservientium, aut in Parochia habitantium, nec ad certam Ecclesiam pertinentium, quam Laicorum. Sic Archipresbyterum, seu Decanum Christianitatis cuiusque loci proprium Sacerdotem esse, et agnosci volumus Pastorum sui Decanatus; sic Archipresbyterum civitatensem, proprium Sacerdotem ut Pastorum sui Decanatus, ita et caeterorum Archipresbyterorum, sive Decanorum Christianitatis. Eorum, qui Dignitatem, Canonicatum, beneficium, vel officium in Ecclesiis collegiatis nobis subditis obtinent, proprius Sacerdos est is, cui ratione Dignitatis cura animarum incumbit, aut ubi hujusmodi non est, cui id muneris nos crediderimus. Monachorum est Praelatus. Singuli itaque juxta praescriptum hoc proprium suum Sacerdotem agnoscant, aliquoties annis singu-*

Synod.
Audom.
Tit. 7.
c. 2.

lis et ut minimum semel suo quique con-
fitentes.

58. Nostra aetate passim viget usus, quod cuique saecularium pro suo arbitrio liberum sit et pro annua confessione ex tacita, et praesumpta licentia Parochi quemque approbatum Confessarium eligere, ut tamen schedulam Paschalis Confessionis Parocco exhibeat. *Enimvero et S. Carolus monuit Parochos, ut se in concedenda licentia alteri confitendi faciles praeebeant. In Diaecesi autem, inquit, et generatim, et sigillatim Parochus se facilem praeebeat in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, eos medicinae vitandae causa Parochi judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios a nobis testimonio scripto probatos se conferant, qui confessionem peccatorum suorum audiant. Imo vero eam facultatem sponte sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, dissensionesve secum exercuerint, exercente de iis praesertim rebus, quae ad munus spirituale Parochialis curae non attinent. Quia in re si Parochus defuerit, tunc Vicarius foraneus facultatem concedat, ut alios confessarios adire possint.*

Trid. sess.
21. c. 4.

59. Unde praecepit Concilium Tridentinum Episcopis, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus — cogant Recto-

res, vel alios, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficient ad Sacra menta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.

60. In Historia ecclesiastica satis exploratum est, primis Ecclesiae saeculis omnem auctoritatem moderandi, administrandi Poenitentiam penes Episcopos stetisse, ita, ut Presbyteri nihil sibi potestatis arrogare potuerint, nisi quam, et quantam, et quamdiu Episcopi, quorum Vicarii, et Delegati habebantur, concessissent. c. 5. XXVI. q. 6.

Cap. 8.
De Ap-
probat.
Confess.

61. Novo jure institutis beneficiis Parochi, Curatique ipso jure titulum administrandi Poenitentiam suis Parochianis naesti censebantur, ut ex suscepta illa cura animarum ordinarii Ministri Sacramentorum in finibus sui beneficii reputarentur, quibus et jus fuit, id genus officii et aliis Presbyteris commitendi. c. 12. de Poenit. et Remiss.

62. Concilium Tridentinum edixit, Trid. sess. nullum Presbyterum, etiam Regularem 23. c. 15. posse Confessiones saecularium, etiam si Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale, aliudve curatum beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat, privilegiis, et consuetudine

*quacunque etiam immemorabili non ob-
flante.*

63. *Jus illud ordinarium Curatorum re-
stringitur ad fines Parochiae ex suo genere,
ita, ut in aliena Parochia, ne quidem ex
consensu Parochi, inconsulto Episcopo, ul-
lam administrationem arrogare possent.
Usus tamen invaluit, quod et ille in
alienis Parochiis ex solo consensu Pasto-
rum per totam Diaecesis approbatus cen-
seatur. Sic Synodus Namurcensis Ann.
1659. indulget Pastoribus, qui in alio-
rum veniunt auxilium, tempore indul-
gentiarum, vel Turni, Confraterni-
tatum, aut alia justa causa, etiam
audire Confessiones in illorum Ecclesia
Parochiali.*

Synod.
Nam.
Tit. 5.
c. 7.

64. Reliqui Sacerdotes saeculares, re-
gularesque, utpote destituti juris titulo,
restringuntur ad examen, et approba-
tionem Episcopi, ita, ut ne in Mon-
asteriis quidem, et locis, ubi Regulares
spiritualem, temporalemque jurisdi-
ctionem habent, quisquam Sacerdos,
etiam Regularis, et exemptus Confes-
siones audiat; nisi primum ab Episco-
po, intra cuius diaeesis fines ea Mo-
nasteria, locaque sunt, ad id probatus
fuerit. Ita declaravit S. Carolus.

65. Haec approbatio Episcoporum,
cum precaria sit, vel simpliciter revo-
cari, vel ad tempus, locum, personas-
que restringi potest. En exempla! De-

cidit S. Congregatio; *Regulares generaliter approbatos ab Episcopo ad Confessiones personarum saecularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione.* Item: *Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.* Denique: *Confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum Confessiones audire: sed ab Episcopototies esse approbando, quoties casus deputationis contigerit.*

66. Hoc exemplo et S. Carolus speciales Clericorum Confessarios selegit.

Synodus Tornacensis Ann. 1585. has rationes adduxit: *Sacerdotes bonum, probatumque eligant Confessarium, cum bonus Confessarius magno sit auxilio ad obtainendam veram contritionem, et seriam vitae emendationem. Neque illud quis inficiabitur, magna prudentia, et eruditione opus esse, ut quis non tantum bonos Christianos, sed bonos Clericos, Christianorum futuros, Magistros, formare queat.*

Synod
Torn de
Sacr. Poe-
nit. c. 2.

Conc.
Mediol.
IV. de
his, quae
ad Sacr.
Poenit.
pert.

67. In reliquis monet S. Carolus Episcopos, ut a Confessionibus audiendis suspendant, aut omnino amoveant Confessarios etiam Regulares jam approbatos, quos pro sua timoratae conscientiae religione viderint in eo munere non ita sincere, integreque, et cum aedificatione se gerere, quemadmodum et tanti ministerii illis commissi sanctitas, et animarum salus deposit, quae suae fidei concreditae sunt.

Cap. 9.
De Re-
serv. cas.
Trid. sess.
14. de SS.
Poenit.
Sacrif. c. 7.

68. Uberius restrictionis, vel revocationis argumentum supereft per reservationem casuum. Ait Synodus Tridentina: *Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis nostris Patribus visum est, ut atrociora quaedam, et graviora crimina non a quibusvis, sed ad summis duntaxat Pontificibus absolverentur.*

69. Vetus usus satis diu viguit, quod omnia crimina saltem publica Papae et Episcopis reservarentur. Hodie vero restrictore discretione opus est, ut reservationes haud multiplicentur, quia ex earum multiplicatione procul dubio et eorum auctoritas vilescere posset. Hinc Synodus eas reservationes ad crimina atrociora, et graviora restrinxit, et quo fine? ut populus per difficultatem obtinendaе absolutionis tanquam quodam fraeno ab enormioribus quibusdam excessibus cohi-

cohibeatur; tum, ut illis morbis per
peritiores, et selectiores Medicos justa
remedia, et pharmaca parentur. Quippe
potestate ad aedificationem, non ad de-
structionem utendum est.

70. Synodus Arelatensis Ann. 1260. Synod.
Arel.
c. 16.

haec verba facit: *Quum propter imbe-
cillum, impotentium, et pauperum
occupationes, et penuriam aliquando
per villas, et oppida consuevissent E-
piscoli Poenitentiarios suos in Qua-
dragesima destinare, qui eos a casibus,
qui Majoribus reservabantur, absol-
verent: indicium haud obscurum, in-
ferioribus confessariis per villas, et
oppida constitutis facultatem absolven-
di a reservatis non fuisse communica-
tam. Neque Poenitentiarios, ab Epi-
scopis destinatos potuisse quoslibet a
peccatis reservatis absolvere; at dun-
taxat illos, qui per in potentiam, aut
penuriam ad Episcopum facile accedere
non poterant. Recentioribus moribus
invaluit, quod Poenitentiariis Episcopi
absoluta tribueretur facultas absolvendi
a casibus Episcopo reservatis. Supereft
tamen, quod Episcopi declarare possint,
quoddam speciale peccatum ob sui gra-
vitatem non contineri sub generali licen-
tia absolvendi a reservatis. Sic in ple-
risque diaecefibus excipere extra arti-
culum mortis placuit peccatum quodli-
bet mortale, et externum contra casti-*

tatem complicis, et sollicitationis ad turpia.

71. Meminit S. Synodus Tridentina et casuum Papae reservatorum. Quippe inde a saeculo XII. sensim invaluit, quod Episcopi nonnullos, graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam ablegarent, ut vel a Papa absolverentur, vel, ut Poenitentiam a S. Sede merebantur, ab Episcopis peracta Poenitentia absolvendi. In Concilio Londinensi Ann. 1143. Decretum est, *ne quis, qui Ecclesiam, caementeriumque violaverit, vel in Clerico, vel in viro Religioso manus injecerit violentas, ab alio, quam ipso Papa possit absolvi.*

72. Hoc exemplo in novis Decretalibus, reliquisque recentioribus Constitutionibus diversae succreverunt reservationes casuum Papalium; censebatur enim tanta difficultas obtinendae veniae apta, et nata esse ad retrahendos homines ab illis vitiis, quia tunc temporis oportebat Pontificem ipsum adire, ut quis absolvi posset, nisi aut senio, aut valitudine, aut aetate, aut sexu ex tanto itinere, cuius fatigatio pars Poenitentiae censebatur, excusaretur, ut ab Episcopo posset absolvi. c. 6. et 13. de Sent. Excom.

73. Successu temporum Pontifices a casibus reservatis S. Sedi absolvendi facultatem cooperant pro foro consciencie

tiae inferioribus Presbyteris, et Confessariis maxime Ordinum Mendicantium delegare, sed eo moderamine ut hac occasione sibi nihil potestatis in casus Episcopo reservatos, praeterito ejus consensu arrogarent, eti reservati Episcopis casus essent e numero reservationum Papalium. Vetat S. Carolus in Concilio Mediolanensi III. Ne Confessarii Regulares eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reservata est; vinculis irretitos poenitentes absolvant. Quemadmodum a Sede Apostolica saepius declaratum est, id eis, nisi licentiam obtinuerint ab Episcopo, non liceat, quavis privilegiorum suorum auctoritate.

Conc. Me-
diol. III.
Tit. 8.

74. Inquit Concilium Tridentinum: Trid.
Verumtamen pie admodum, ne quis supr.
hac ipsa occasione pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio vel Papae, vel Episcopi in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Poenitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possunt. Extra quem articulum Sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur, ut ad Superiores, et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant.

*75. Quid in rationibus vulgaris Poenitentiae reliquum est parilis discretio-

nis, quam, ut et caeteri poenitentes, qui aut vitiis assueverunt, aut proximis periculis inherent, ab absolutione repellantur, donec officio suo satisfecisse videantur? Ait S. Gregorius VII. *Sicut enim falsum Baptisma non lavat originale peccatum; ita post Baptismum falsa Poenitentia non delet nefas commissum;* ideoque valde necessarium est, ut, qui se aliquod grave crimen commisso cognoscit, animam suam prudentibus, et religiosis viris committat, ut per veram Ponitentiam certam peccatorum suorum consequatur veniam etc. — — quoniam, qui aliena bona diripuit, et ea cum possit reddere, et emendare noluerit, — — vel qui hujusmodi negotiationibus, aut officiis implicitus fuerit, quae sine fraude, sine falsitate, sine invidia, sine deceptione Fratrum, exercere non possit, nec ad Dominum conversus, nec de perpetratis facinoribus, veram Poenitentiam facere, credendus est. En Concilii Aquensis de Ann. 1585. Decretum! Episcopus, inquit, Sacerdotes Confessarios etiam Regulares — — praecipue moneat — — quam caute in poenitentium absolutione agere debeant, cum praesertim vel de restitutione, vel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, abjiciendis agitur. Quid diser-

Greg.
VII. in
Conc.
Rom.
c. 5.

Conc.
Aquens.
Tit. quae
ad Poen.
Sacr.
pert.

tius monito S. Caroli? *Videat diligenter, (Confessarius) ne quem absolvat, qui vel odium, vel inimicitiam deponere nolit, vel restituere pro facultate recuset alienum vel a statu peccati mortalis paratus non sit discedere, occasionemque similis peccati vitare.* *Enimvero hi, qui vel damnum, si possunt, resarcire, vel odium deponere nolunt, aut malis habitibus, occasionibusque inhaerere malunt, convicti tenentur, quod illo firmo proposito, quod ad remissionem peccatorum praeparat, destituantur.* Ait S. Carolus: *Quod si poenitens — neque efficax propositum abstinenti in imposterum ab aliquo peccato mortali ostendet; eum minime Confessor absolvat etc.*

S. Carol
Instruct.
Poenit.
quae in
Minist.
Sacr. Poe-
nit. --
Obser.

TITVLVS. VII.

D e I n d u l g e n t i s

CAPVT I.

De Variis Speciebus, et Formulis Indulgentiarum.

I. Docet Concilium Tridentinum, *indulgentiarum potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse, rejectis Novatorum erroribus, qui jactabant, indulgentias esse inutiles, vel negabant, eas concedendi potestatem esse Ecclesiae.*

Trid. fest.
25. Decr.
de Indulg.

2. En terminorum sensum! Cum Ecclesia peccatoribus aspera, et laboriosa quaedam opera praecipit, ut illa submisso animo subeant, dicitur satisfactio, et Poenitentia: Cum autem propter eximiam Poenitentium pietatem, aliave pia opera, iis praescripta, poenam decretam in totum, vel in tantum condonat, dicitur remissio, et indulgentia. Ita prope Veronicus exponit.

Veron. in
Reg. fid.

3. Jure novo supereft inde inscriptio de Poenitentiis, et Remissionibus; ut-pote Poenitentia spectat poenas canonicas. Remissio refertur ad poenarum canonicarum uberiorem, restrictiorumque condonationem. c. 4. de Poenit. et Remiss.

4. Recentiore usu illas remissiones exemplo legum civilium indulgentias placuit dicere. Sic enim et leges indulgentiam dixerunt, si Princeps veniam criminum in ordine ad poenam legibus debitam fecisset. L. 3. C. Th. de Indulg. Crim.

5. Jure veteri restrictior usus fuit earum remissionum. Tum enim vel Martyrum intercessionibus, vel poenitentium meritis datum est, ut Episcopi quidquam a Canonum rigore remitterent. Sic Concilium Nicaenum, et Ancyranum decernunt, ut Episcopi conversationis ipsorum Poenitentium modo considerato, potestatem habeant vel cle-

Conc. Ni-
caen. c. 12.
Ancyr.
c. 4. et 5.

*mentia, per contractiorem Poenitentiam
utendi, vel plus temporis adjiciendi.*

6. Novo jure invaluerunt Indulgentiae generales per expeditiones in terram sanctam, aut collationes in eos sumptus. Hac occasione persuasum fuit, et eos mereri ampliorem, restrictio remque Indulgentiam, qui eleemosynam in aliud opus bonum; v. g. aedificationem, reparationemque Ecclesiae, Monasterii, Hospitalis, aut pretium ad compara randa ornamenta, et Vasa sacra obtulissent. Hujus Indulgentiae frequens formula erat: *Quid denarium in aedificationem,
aut reparationem hujus Ecclesiae, aut
Oratorii contulerit, tertiam, vel quartam etc. partem poenitentiarum impo-
nendarum illi in Domino relaxamus.*

7. Successere reliquis saeculis Indulgentiae pro visitatione Stationum, pro peregrinatione pia, pro Sodalitiis, et Confraternitatibus, pro solemnitate festivitatum, quarum quidem vel exempla, vel vestigia plures Doctores ex antiquis monumentis S. Sylvestri I. S. Gregorii I. S. Leonis III. commendant, aut explicant.

8. Alii a saeculo IX. exemplum recentiorum formularum deducunt. In Concilio Triburensi Ann. 895. decretum est: *Si quis non potuerit jejunare, et ha-
buerit, unde possit redimere, si dives fuerit, pro septem hebdomatibus det*

Cap. 2.
De Re-
dempt.
Poenit.

solidos viginti : si non habuerit tantum, unde dare possit, det solidos decem ; si autem multum pauper fuerit, det solidos tres. Pro uno mense, quod in pane, et aqua jejunare debet aliquis, psalmos decantet mille ducentos genuflexo, et si non genuflexo, mille sexcentos, et octoginta.

9. Recentiores harum indulgentiarum species per viam commutationis, vel redemptionis necessariae videbantur, postquam opinio invaluit, pro quolibet peccato mortali esse Poenitentiam septennalem peragendam. Quippe novo hoc computu saepius desperare oportebat, quod per vitam hominis Poenitentia compleri posset.

10. En rationes, quibus recentiores formulas indulgentiarum explicare libuit. Refert eas Guilielmus Episcopus Parisiensis, ubi inter alia ait: *Manifestum est, quod et honor Deo fit, majorque utilitas animabus, ut sacrificiis, et orationibus assidue succurratur, et Sanctorum suffragia ; qui, quaecunque voluerint, apud Dominum possunt, die, ac nocte ab eis impetrantur, in qua incessanter hostes invisibles impugnantur, caeteraque bona, quae memoravimus, et nominavimus, ibi sine intermissione animabus impendantur ; major, inquam, est honor Deo, majorque animabus utilitas,*

Guiliel.
Paris. de
Sacr. Ord.
c. 13.

quam quantacunque afflictionum poenitentialium carnificina etc.

11. Quid in has rationes acutius crisi D. Fleury? Si hae, ait; rationes essent solidae, debuissent movere sanctos Episcopos priorum saeculorum, qui Ecclesiae praefuerunt, et determinaverunt Poenitentias canonicas: sed hi longius prospiciebant et comprehendebant, Deum infinities plus honorari per morum puritatem, et virtutem Christianorum, quam per constructionem, et decorationem, templorum materialium, cantum, ceremonias, et omnem cultum exteriorem, qui non est, nisi cortex Religionis, cuius anima, et essentia est virtus. Et infra: Et sane, si experientiae credamus, nunquam Christiani sanctiores fuere, quam dum Poenitentiae canonicae maxime viguerunt: ubi contra nunquam fuerunt magis corrupti, quam ab eo tempore, quo Poenitentialis disciplina abolita fuit.

12. Sensim Pontifices veteris Poenitentiae canonicae moderamini Indulgentias stationarias substituerunt. Bonifacius VIII. Anno 1298. haec verba facit: Frequenti considerationis indagine perlustramus, et intra claustra pectoris sollicita meditatione discutimus, qualiter Doctor optimus, Ecclesiae S. Lumen, B. Gregorius, dum adhuc in terris gereret vices Christi, Patriarchalibus,

Fleur.
Disc. IV.

*et aliis ejusdem urbis Ecclesiis primo,
prout tradit antiquitas, et alii post-
modum Romani Pontifices — de Aposto-
licae Sedis liberalitate munifica diverso-
rum tenorum stationarias Indulgentias
concesserint. Sunt plures ex modernis
criticis, qui Indulgentias Stationarias a S.
Gregorio fuisse concessas omnino negant:
ast eorum argumenta iron sunt adeo firma,
ut communior opinio deferenda vide-
atur.*

13. In Concilio Tridentino monuit E-
piscopus Mutinensis, ab uberiore tra-
ctatu Indulgentiarum secundum quae-
stiones et difficultates a Theologis tra-
ctari solitas esse abstinentium, ratus, cau-
sis omnibus consideratis, et quaestio-
nibus excussis, rem fore longam admo-
dum, et difficilem, multumque tempo-
ris desiderantem: neque enim caput
illud satis dilucide explicari posse, nisi
prius illud constitutum sit: an sint ab-
solutiones, an vero compensationes,
et suffragia? Et utrum poenas tantum
a Confessore impositas remittant, an
quascunque debitas? Itidem, an the-
saurus, qui fundamenti loco subster-
nitur, ex solis Christi meritis constet,
an vero opus sit, insuper meritis San-
ctorum? an dari possint sine ulla ac-
cipientis opera? an ad mortuos etiam
se extendant, et alia non minoris dif-
ficultatis?

14. His rationibus Concilium Tridentinum nihil amplius definivit, quam potestatem Indulgentias concedendi a Christo Ecclesiae relictam esse, earumque usum esse salutarem, si justae discretionis locus fit. Ex sententia III. Bossuet, Indulgentia unice consistit in remissione Poenitentiae, quam in satisfactionem criminum peccatoribus Canones decernunt.

Bossuet.
de Indulg.
c. I. n. 27.

15. Quippe et novo jure dicitur Indulgentia in hac poenae, et poenitentiae remissione proprie consistere. Hinc Pontifex, ut auctoritatem, vel potius profusionem Episcoporum in concedendis Indulgentiis reprimeret, expresse declarat, ut tempus praefixum *de injunctis Poenitentiis indulta remissio non excedat*. Refert. c. 14. de Poenit. et Remiss.

16. Sane grandi moderatione in concessione Indulgenciarum utendum esse, et exemplo S. Apostoli, et argumento veterum Canonum docemur. S. Apostolus Corinthio illi incestuoso nonnisi post afflictionem tam gravem poenitentiae, ut ex ea desperationis periculum immineret, veniam severioris, et prolixioris censurae fecit: *Ne forte, inquit, II. Cor. 2. abundantiori tristitia absorbeatur.*

Cap. 3.
Demo-
dern. In-
dulg. usu.

17. Juxta Decretum Concilii Ancyrani Episcopi modo conversationis examinato, potestatem habeant, vel utendi clementia — ante omnia autem et

Conc.
Ancyr.
c. 5.

*praecedens vita, et quae consecuta est,
examinetur; et sic eis clementia imper-
tiatur.*

Conc.
Nicaen.
c. 12.

18. Permittit Concilium Nicaenum,
*cum illis humanius agi, quicunque et
metu, et lachrymis, et tolerantia, et
bonis operibus conversionem et opere,
et non tantum habitu ostendunt. Ecce
veteres cautelas, ad quas Canones in-
dulgentias restringunt.*

S. Cypr.
ep. 10.

19. Inde S. Cyprianus nonnullis vitiis
vertit, qui aut indiscretius libellos Mar-
tyrum porrexerant, aut inde promiscuum
usum indulgentiarum neglectis me-
ritis poenitentium sibi arrogarunt. Oro,
inquit, *vos, quibus possum precibus,*
ut Evangelii memores, et considerantes,
quae et qualia in praeteritum vestri An-
tecessores Martyres concederint, quam
solliciti in omnibus fuerint, vos quo-
que sollicite, et caute petentium deside-
ria ponderetis. Ipsorum quoque de-
lictorum genera, et qualitates cogite-
tis, ne, si quid abrupte, et indigne
vel a vobis promissum, vel a nobis fa-
ctum fuerit, apud Gentiles quoque
ipsos Ecclesia nostra erubescere inci-
piat. Quid clarius? Veteres ad interio-
res dispositiones poenitentium indulgen-
tias moderati sunt.

20. Recentiores Pontifices, invale-
scientibus novellis causis, et generibus
Indulgentiarum, pretium exteriorum

operum spēctandum censuerunt. Prae-
cipit Gelasius III., ut secundum labo-
rum, et beneficiorum suorum Eccle-
siae impensorum quantitatem, ad Epi-
scoporum arbitrium, in quorum Pa-
rochiis degunt, poenitentiarum sua-
rum remissionem, vel indulgentiam
consequantur.

Gelas. III.
ep. ad
Exerc.
Christ.

21. Caeterum novo jure indulgentias
indiscretiores, et extensiores cohiben-
dae videbantur. Ita in dedicatione Basili-
cae indulgentia ad unum annum, et in aliis
anniversariis ad XL. dies restringitur.
En rationem: *Cum Rom. Pontifex, qui*
plenitudinem potestatis obtinet, hoc in
talibus moderamen consueverit obser-
vare. Ref. c. 14. de Poenit. et Remiss.

22. Instituta solemnitate Corporis
Christi, inde et Pontifices ad centum,
et ducentos dies indulgentiam moderati-
sunt. *Clem. un. de Rel. et Vener. SS.*
Hoc moderamine et Sixtus IV. circum-
scripsit Indulgencias pro festo Concep-
tionis immaculatae B. Virginis. *Extrav.*
Com. c. 1. d. t.

23. In Canonizatione Sanctorum suc-
crevit locus augendi indulgentias. Ca-
lixtus III. in Canonizatione S. Vincen-
tii Fererii accendentibus ad sepulturam,
Ecclesiamque hujus Sancti septem annos,
et totidem Quadragesas de injunctis Poe-
nitentiis relaxavit. Leo X. in Canoni-
zatione S. Francisci de Paula in loco se-

pulturae, et die depositionis divino officio devote affistentibus perpetuo duraturam quadraginta annorum, totidemque quadragenarum indulgentiam condonavit. Sic ex Epochā temporum constat, recentiores Pontifices in concedendis indulgentiis liberaliores prioribus fuisse.

24. Successere indulgentiae plenariae pro visitationibus nonnullarum Ecclesiarum, aliisque diversis causis. Hac occasione Sixtus IV., abolitis extensoribus, et indiscretioribus indulgentiis, moderationem praescripsit, *ne cuiusvis Indulgentiae, remissionis, vel facultatis obtentu Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda reddantur; aut facilitas veniae eis peccandi tribuat incentivum.* Refert. Extrav. 5. de Poenit. et Remiss. in Com.

25. Synodus Tridentina, rejectis corruptelis, quae in usum indulgentiarum ex Quaeotorum avaritia, et fallacia irreperserant, *in his concedendis moderationem, JUXTA VETEREM, ET PROBATAM IN ECCLESIA CONSUETUDINEM adhiberi cupit; ne nimia facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.*

26. Praecipit Synodus Cameracensis P. I., ut Parochi populum suum diligenter admoneant, *ne circumforaneis quibusdam, aut etiam impressis libellis temere fidem adhibeant, qui ex levi-*

Trid.
supr.

Synod.
Camer.
de Indulg

bus, vanis, et superstitionis causis exorbitantes, centum, milleque annorum Indulgentias pollicentur, cum indulgentiae non nisi ex piis, ex rationabilibus causis, justa discreione, concedi debeant.

27. In crisi eruditorum Poenitentiales Presbyteri, qui tempore Indulgentiae pro gravibus peccatis imponunt leves poenitentias, hallucinantur insigniter, et peccatoribus plurimum nocent. Quo major eis Poenitentia impunitur, eo viciniores fiant satisfaktioni, et ad indulgentiae fructum aptiores.

28. In Regulis Cancellariae cautum est, ut in litteris indulgentiarum ponatur, quod si Ecclesiae, vel Capellae, vel alias aliqua indulgentia fuerit concessa, de qua inibi specialis mention facta non sit, hujusmodi litterae sint nullae. Quia, si Papae facta fuisset mention de alia indulgentia, forte illam non dedisset, saltem non ita faciliter.

29. Et infra: Item voluit D. N. quod litterae super Indulgentiis non expediантur AD INSTAR, nisi specificentur. Utpote ad instar aliarum indulgentiarum aliis Ecclesiis, locis, Personis que concessarum, super quibus Pontifex non vult expediri litteras, nisi indulgentiae antea concessae specificentur: tum, ne nimium multiplicentur indul-

Christ.
Lup. de
Pecc. et
Satisfact.
indulg.
c. 8.

Reg.
Canc. 53.

54

gentiae, tum, ut praecaveantur fraudes, quae facile in hujus generis generalitate irrepunt.

Clem. IX.
const. 36.
in Bulla
Rom.

30. Clemens IX. Ann. 1669. instituit novam Congregationem Cardinalium, et aliorum Praelatorum cum facultate omnem difficultatem, ac dubietatem in Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertinet (*circa graviora, et difficilia prius Rom. Pontifice consulto*) expediendi: abusus quoque, qui irrepisse possent, corrigendi, et emendandi — falsas, Apocryphas, indiscretasque indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi, et examinandi; et, ubi Pontifici retulerit, ejus auctoritate rejiciendi — ac in Indulgentiis concedendis moderationem adhiberi, omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curandi.

Cap. 4.
De Abus.
Quaest. et
Indulg.

31. Novae Decretales meminere Quae storum, qui deligebantur ad colligen das eleemosynas fidelium, ut recentiorum indulgentiarum fructum mererentur. Placuit eos formatis epistolis stipare, ut fraudibus eorum occurreretur, qui se alios mentiendo, abusiones non nullas in sua praedicatione proponebant. Refert. c. 14. de Poenitent. et Remiss.

32. Labentibus saeculis eorum abusuum uberior seges succrevit. Inde Concilium Viennense cavit, ne Quaestores aliqui

aliqui (nisi Apostolicas, vel Diaecesani litteras exhibuerint) quomodlibet admittantur, recipianturque. Inquit Papa: *Litteras quoque Apostolicas Diaecesani Episcopi (ne quid fraudis committi valeat per easdem,) antequam admittant Quaestores ipsos, examinent diligenter.* Supereft Clem. 2. d. t.

33. Successu temporis constitit, has cautelas medendo malo impares fuisse. Hac occasione Concilium Tridentinum et nomen, et officium, et usum Quaeſtorum Indulgenciariorum simpliciter expungendum duxit, decernendo, ut nullus ad hujusmodi officium admittatur posthac, *non obſtantibus Privilegiis — aut consuetudinibus etiam immemorabilibus.*

34. Hoc Decr. S. Synod. omnem quaeſtus suspicionem indulgentiarum usu arcendam censuit, hinc et subjunxit, ut Indulgentiae fidelius dispensarentur, *eas, aut alias spirituales gratias deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitiss temporibus esse publicandas.*

35. S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. inde vetat, *ne cuivis Rectori Ecclesiae, etiam exemptae, quovis modo, neque ulli Ordini Regulari, neque cuiquam Scholae, Confratiae, etiam Rosarii, et Cruce signatorum, locive pii Collegio, praetextu, cau-*

Trid. sess.
21. cap. 9.

Conc.
Med. V.
P. r. de
Indulg.

save, vel Privilegiorum etiam antiquorum, vel Indulgenciarum, quas sibi quovis modo concessas, etiam instar Ecclesiarum, locorumve piorum confratricarumve urbis Romae habet, licet illas ipsas in suis Ecclesiis promulgare: sed, ut Decreto Tridentino cavitur, per Episcopum, adhibitis duobus de Capitulo, illae quotannis publicentur, atque evulgentur.

36. En reliquum Decretum Mediolanense: *Ne Indulgenciarum litterae inscriptionesve earum nomine exaratæ, eo loco, ubi Capsa ad colligendam eleemosynam apparata est, etiam extra Ecclesiam proponantur, affigantur, sed vel in Altari majore, vel in alio, ubi Indulgenciae causa statio, oratiove constituta est.* Et infra: *ubi illius Indulgenciae celebritas agitur, Parochus, concionatorve doceat simul diligenter, ejus consequendae causa non esse necessario praestitutam eleemosynæ largitionem: ut coelestem eum thesaurum, spiritualiaque munera exponi omnes intelligent, non ad qualsum, sed ad peccatorum satisfactiōnem, et ad pietatis exercitationem.*

Cap. 5.
De Jubil.

37. Plenissimam Indulgenciam promulgavit per Jubilaeum Bonifacius VIII. statuitque, eos concessae Indulgenciae participes fieri, qui, peracta Sacramentali digna Poenitentia, si fuerint Roma-

ni, ad minus triginta diebus continuis, seu interpollatis, et saltem semel in die; si vero peregrini fuerint, aut forenses, simili modo quindecim diebus ad dictas Basilicas accedunt. *Extrav. 1. de Poenit.* et *Remiss. int. Com.*

38. Bonifacius VIII. Jubilaei Indulgentiam quemlibet annum centesimum restrinxit. Clemens VI. in ordine ad hanc Indulgentiam quemlibet annum quinquagesimum Jubilarem esse sanxit, ut tanto plures illius coelestis thesauri participes redderet. *Extrav. Com. 2. ibi.*

39. Recentiores Pontifices, Paulus II., et Sixtus IV. annum Jubilaeum ad quemlibet annum vigesimum quintum reduxerunt, suspensis reliquis Indulgentiis per eum annum quibuscunque Ecclesiis, aut locis extra urbem, et sub quacunque forma a Sede Apostolica concessis. *Extrav. Com. c. 4. d. t.*

40. Auctoritate Pauli II. invaluit, quod, Anno Jubilaei Romani absoluto, Indulgentia subsequente anno ad alias dispersas Ecclesias generaliter propagaretur. Hactenus enim vel Bonifacius IX., vel Nicolaus V. nonnisi particularibus Provinciis, et civitatibus Jubilaeum Indulgentiam concederant.

41. Inter recentiores Pontifices Sixtus V. primus est, qui Jubilaeum indixit auspicio Iuiae assumptionis ad implo-

randum Dei auxilium pro bono regimine Reipublicae Christianae. Inde hujus exempli reliqui Pontifices et ex aliis causis generale Jubilaeum indixerunt, et ad dispersas Ecclesias miserunt.

42. Forma, et conditiones Jubilaei, in Bulla Sixti V. expressae, fere eaedem sunt, quae in Bullis hodie exprimuntur. Sic assignantur duae hebdomadae, in quarum altera conditiones requisitae impleri debent; nimirum, ut quis intra hebdomadam illam jejunet, eleemosynam eroget, Ecclesias, ab Ordinario designatas visitet, et Sacraenta Poenitentiae, et Eucharistiae suscipiat.

43. Circa Confessionem relinquitur fidelibus libertas, pro hac vice vigore Jubilaei Confessarium five saecularem, five Regularem, ab Ordinario approbatum eligendi, qui quemque possit absolvere a quibuscumque criminibus, qua cunque ratione reservatis, a censuris, sententiis, et poenis ecclesiasticis quomodlibet contractis, injuncta pro modo culpae poenitentia salutari, commutare que vota quaecunque, praeterquam castitatis perpetuae, et Religionis approbatae.

44. Dicit quidem Bonifacius VIII. in sua Constitutione. Antiquorum habet fidia relatio, quod accendentibus ad Venerabilem Basilicam Principis Apostolorum de urbe concessae sint magnae remissio-

nes, et indulgentiae peccatorum: ast harum indulgentiarum olim concessarum non reperitur authenticum testimonium: ideo hactenus idem Pontifex Bonifacius VIII. creditur primus illius indulgentialis formulae promulgator.

45. Commendatur exemplum frequentioris concursus veteribus auctoritatibus. Ait Nicolaus I. *Tanta milia hominum protectioni, ac intercessioni B. Apostolorum Principis Petri ex omnibus finibus terrae properantium sese quotidie conferunt, et usque in finem vitae apud ejus limina semet mansura proponunt etc.*

46. Veteri jure arbitrium indulgentiarum juxta Canonum argumenta Pontifices Episcopis reliquerunt: cum enim vix possibile fit, quod Romanus Pontifex, tum de facti, seu criminis qualitate, tum de vita, et conditione poenitentis, in remotis partibus agentis, rite, ac plane sit informatus; satius visum est, modum poenitentiae pro gravitate criminis determinandum, ejusdemque mitigationem, vel condonationem Episcopis in suis Diaecesis relinquare. Rescripsit Vigilius Caesario Arelatensi: *Charitas tua, totius facti qualitate, ac poenitentiis ipsius compunctione perspecta, praedictum Gl. Regem, filium nostrum et de temporis observatione non omittat instruere, et ne ul-*

S. Nicol.
ep. 8. ad
Mich.
Imp.

terius aliquid praesumatur, instanter exposcat. Quia (sicut charitatem tuam bene nosse confidimus) modus poenitentiae PRAESENTIUM potius SACERDOTUM INSPECTIONI committitur, ut JUXTA COMPUNCTIONIS MERITUM, VENIAE POSSIT QUOQUE INDULGERI REMEDIVM, tuae hoc potius aestimationi credimus relinquendum.

* 47. Nil magis praesentium Sacerdotum inspectioni, et discretioni in officio Sacramentalis Confessionis commendatur, quam ut poenitentes vigore recentiorum Indulgentiarum ad perfectiōnem purioris charitatis disponant. Quip-

Marc. 12, pe ex utraque lege *hoc primum omnium mandatum est naturale, divinumque: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua.* Sic dixit Dominus Simoni Phariseo de muliere, quae erat in civitate

Luc. 7. peccatrix: *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.* Ait B. Apostolus: *Et si habuero omnem fidem, ita, ut montes transferam; charitatem autem non habuero, nihil sum.*

1. Cor. 13. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; et si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil*

mihi prodest. Quid brevius sententia S. Joannis: *Qui non diligit, inquit, manet in morte.* Ex sententia S. Prosperi: *sine charitate, quae dicta est via, non ambulare possunt homines, sed errare.* Juxta S. Gregorium: *Hoc solum Deus Sacrificium accepit, quod quidem ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit.* En ex veteri formula Vigilii, quam mox retulimus, perfectio contritionis illa conditio erat, *ut juxta compunctionis meritum veniam quoque possit indulgeri meritum.* Clemens VII. inde pro rationibus Jubilaei has recenset, ut *cunctorum fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, et CHARITAS vehementius, perfectiusque incalefacat.* Res fert. Extrav. 2. de Poenit. et Remiss. int. Com.

S. Joann.
Ep. I. c. 3.
S. Prosp.
de vit.
Cont.
L. I. c. 13.
S. Greg.
Past.
Part. 3.
c. 10.

TITVLVS VIII.

De Sacramento extremae Unctionis.

CAPVT I.

De Institutione hujus Sacramenti.

I. Synodus Tridentina de hoc Sacramento inter alia definit ea: *Si quis dixerit, extremam Unctionem non esse severe, et proprium Sacramentum, a Christo Domino nostro institutum, et a B. Apo-*

Trid. seff.
14. de
Extrem.
unet. c. 1.
et 2.

stolo Jacobo promulgatum, sed ritum tantum a Patribus receptum, aut figuratum — non conferre gratiam, nec remittere peccata; sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

De Extr.
Und.
cap. I.

2. Et supra: Inquit S. Jacobus Apostolus: infirmatur quis in vobis — quibus verbis, ut ex Apostolica traditione per manus accepta. — Intellexit Ecclesia, materiam esse Oleum ab Episcopo benedictum.

3. In Ecclesia Orientali a Sacerdotibus consecratur, et administratur sacrum Oleum; nam S. Oleum, quod Episcopus in coena Domini consecrat, mox consumitur, quia cuncti, S. Synaxis accessuri, in expiationem peccatorum unguendos se offerunt. Absit, ut latina Ecclesia hunc morem Graecis vietio dederit. Clemens VIII. inter caetera statuit: Non sunt cogendi Presbyteri graeci Olea sancta, praeter Chrisma, ab Episcopis latinis Diaconis accipere; cum ejusmodi Olea ab eis, in ipsa Oleorum, et Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, et benedicantur. Spectat ergo Tridentinum Decretum, in quantum oleum ab Episcopo benedictum determinat, materiam sufficientem, et etiam pro usu Ecclesiae latina necessariam.

Clem.
VIII.
instr. ad
Episc.
Lat.

4. In Ecclesia latina praecipiunt pas-
sim Ritualia, ut quilibet Parochus ha-
beat loco nitido, et decenter ornato in
vase argenteo, aut staneo, diligenter
custoditum S. Oleum infirmorum, quod
singulis annis feria quinta in caena Do-
mini ab Episcopo benedictum, veteri
combusto, renovandum est. Id tamen,
si forte intra annum aliquo modo ita
deficiat, ut sufficere non posse videatur,
neque aliud benedictum haberi queat,
modico oleo non benedicto, in mino-
re quantitate superinfuso, reparari po-
terit. *Arg. c. 3. de Conf. Eccl.*

5. Quantum ad formam explicat Tri-
dentinum Decretum hodiernum ritum
Ecclesiae latinae. Ecclesia graeca nec
olim, nec hodie illa formula utitur. In
Sacramentario S. Gregorii oratio ad in-
firmum ungendum hac formula refer-
tur: *Inungo te de Oleo S. etc.* sic con-
stat, formulae indicative in Ecclesia
latina serius successisse formulam illam
deprecativam.

6. Fuit et olim grandis diversitas in
partibus inungendis infirmi. Saeculo VI.
moris fuisse videtur, ut tantum pectus
inungeretur. Saeculo VII. caeperunt
plures partes inungi; sed non eaedem
ubique. Aliquando pars magis infecta
inungebatur, quia dixit S. Jacobus: *Et*
alleviabit eum Dominus. Sed haec Un-
ctio jam pridem desit, ne forte haec

sacra Unctio magis ad medicinam corporis, quam animae adhiberi censetur. Juxta Rituale Romanum Pauli V. *Quinque corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit; nempe oculi, aures, nares, os, et manus; attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt: sed in mulieribus honestatis gratia, renum inunctio semper omittitur; atque etiam in viris; quando infirmus commode moveri non potest: sed sive in mulieribus, sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet.*

7. Praecipit Rituale Romanum, ut eandem, ac integrum formam ad singulorum membrorum Unctionem Sacerdos pronuntiet: *Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne altero eorum inungendo, Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo hujusmodi membra paria inunxerit.*

8. Quid in morbis contagiosis? Juxta Manuale Cameracense: *Ungantur celeriter quinque sensuum organa in capite dicendo — Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum etc. Quod si tantum contagii, vel mortis sit periculum, ut nec consuetae partes ungi, nec illa forma pronuntiari*

possit; ungatur organum sensus, magis ad unctionem expositum dicendo: per istam unctionem indulgeat — quidquid deliquisti per quinque sensus tuos. In rabidis ungatur pars ori vice na, ne saliva, quae inficiendi vim habet, tangatur. In Pestiferis uti licebit virga oblonga, oleo tincta, quae deinde comburatur, aut servanda purgetur. In variis Diaecesibus moris est, ut etiam extra periculum contagii, unctionio fiat non pollice, sed virgula.

9. In reliquis pronuntiat S. Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, Extremae Unctionis ritum, et usum, quem observat S. R. Ecclesia, repugnare sententiae S. Jacobi Apostoli; ideoque eum mutandum, posseque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit.*

Trid. de
Sacr.
Extr.
Unct.
can. 3.

10. Inter haec declarat S. Synodus, esse hanc Unctionem infirmis adhibendam; illis vero praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitae constituti videantur: unde et Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quid disertius verbis S. Jacobi: *Si quis infirmatur in vobis etc.*

Cap. 2.
Quib. et
quand.
Extr.
Unct. ad-
minist.

11. S. Innocentius I. relatis verbis S. Apostoli Jacobi inde scribit: *quod non est dubium, de fidelibus aegrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui S. Oleo Chrismatis perungi possunt:*

Trid.
Doctr. de
Extr.
Unct.
cap. 3.

S. Innoc.
ep. ad
Decent.
c. 8.

quo ab Episcopo confecto, non solum Sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ungendis.

Rit. Rom.
de Extr.
Unct.

12. Juxta Rituale Romanum debet autem hoc Sacramentum infirmis praerobi, qui, cum ad usum rationis per venerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur, et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate.

Goar. ad
Rit.
Graec.
p. 432.

13. In usu graecae Ecclesiae aegri plurimi, Unctionem recepturi, aliorum manibus, et ope ad Ecclesiam se deferri faciunt, ibique plurium dierum spatio nonnunquam in Catechumenaeis decumbunt, jacent, et morantur, et sacra tandem Unctione sibi remedium exposunt.

14. Pastorale Mechliniense haec monet: Nemini autem, qui gravi morbo affectus non sit, Sacramentum Unctionis dare licet, quamvis periculum mortis adeat; vel quia periculosam navigationem paret, vel quia praelium initurus sit, a quo certa illi mors impendeat; vel etiam capitis damnatus ad supplicium raperetur. Non ergo sufficit imminens mortis periculum sed requiritur, ut vi morbi immineat. Neque mulieribus in partu laborantibus; sed faeminis in partu deficienti-

bus Sacramentum Unctio*nis* admini-
strandum est. Rabidis, peste infectis,
lethaliter vulneratis, ex haustu veneni
periclitantibus, etiam dum adhuc robu-
sti sunt, si posteat iuscienda*e* Unctio*nis*
opportunitatem non habeant, admini-
strandum est.

15. Reliqua Ritualia monent, ne Ex-
trema Unctio ministretur pueris, usum
rationis non habentibus; secus de pue-
ris periclitantibus, qui doli, et Confes-
sionis capaces sunt. Quid de amentibus,
et furiosis? si nunquam sana ratione po-
titi sunt, et hujus, et alterius Sacra-
menti incapaces sunt. Amentes autem,
et furiosi habentes interdum usum ra-
tionis, si eo potissimum tempore piam
animi significationem dederunt, aut hoc
Sacramentum petierunt, licet postea in
furorem, aut insaniam incident, ungen-
di sunt, nisi tanta sit phrae*a*esis, ut in-
firmus aliquid contra reverentiam face-
re posset Sacramenti. Praecipit Rituale
Romanum: *Infirmis autem, qui, dum*
sana mente, et integris sensibus essent,
illud petierunt; aut verisimiliter peti-
ssent, seu dederint signa contritionis,
etiam si deinde loquela amiserint, vel
amentes effecti sint, vel delirent, aut
non sentiant, nihilominus praebatur.
Ait Pastorale Mechliniense: *Quamvis*
non petierit; si tamen erat bonae vi-
tiae, quia non praesumitur immemor

suae salutis in morte plus, quam in vita. Unde praesumitur, quod petat, vel petiisset, si advertisset, et quod petere voluit, sed non potuit.

16. Quid reliquum est, quam ut Parochi aegrotos saepe invitant, hortenturque, ne ad extrema hujus Sacramenti susceptionem differant; ac proinde sensibus, rationisque usu adhuc integris illud sibi administrari petant, uberiorem ejus fructum percepturi? Quippe sat vulgare est, quod nonnullis praejudicium imponat, quia sibi persuadent, suscepto hoc Sacramento sibi ademptam esse spem reconvalsentiae, aut libertatem conjugii, testamenti, edendarum carniuum, Synodus Wigorniensis Ann. 1240. queretur: *Sunt quidam, ut audimus, qui post perceptionem hujus Sacramenti sanitati pristinae restituti nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliquatione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinae fanae contrarium exeramur, et excommunicationibus, et monitionibus eos duximus corrigendos.*

17. Obresperant haec, aliaque praejudicia, eoquod extrema Unctio, veluti complementum Poenitentiae spectaretur. Inde Graeci, etiam sani, sacra Unctione utuntur, in signum Poenitentiae, et peccatorum expiationem. In

Synod.
Wigorn.
c. 12.

latinis Ecclesiis stetit aliquando et consuetudo, signandi aegrum signo crucis ex cinere, atque imponendi aegro ciliatum.

18. Enimvero illud certum et hodie est, extremam Unctionem, velut complementum Poenitentiae, valere ad peccatorum reliquas abstergendas juxta sententiam S. Jacobi: *Et, si in peccatis fuerit, remittentur ei.* Hinc satis diu viguit usus, quod post sacram Unctionem Communio veluti Viaticum praaberetur. Hodierna Ritualia praecipiunt tamen, ut, quantum fieri potest, extrema Unctio nonnisi post Sacraenta Poenitentiae, et Communionis tribuantur. Inferiorum Presbyterorum non est, a recepta lege recedere, nisi aegrotus ipse petierit, extremam Unctionem ante sacram Communionem sibi administrari. Reliquum est Episcoporum, pro rationibus sanctioris disciplinae causam agere, restituereque, procul a praejudiciis non attendendis.

19. Ex principiis veteris traditionis ait Innocentius I. *Caeterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere dubium non est. Nam idcirco Presbyteris dictum est: (si quis infirmatur etc.) quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes lanquidos ire non possunt.*

Cap. 3.
De Minist.
etc. Sa-
cram.

Trid. sess.
14. de
Extr.
Unct.
can. 4.

20. Pronuntiat Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos B. Apostolus Jacobus adducendos esse ad infirmum inundum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed aetate Seniores in quavis Communitate; ob id que proprium extremae Unctionis ministerium non esse solum Sacerdotem; anathema sit.*

Goar. ad
Rit.
Graec.
p. 408.

21. Meminit B. Jacobus plurium Presbyterorum. Rituale Graecum septem Presbyteros, aut saltem tres adhiberi praecipit, quorum quisque infirmum inungit, orationemque dicit: *Haec oratio, inquit, ab unoquoque Sacerdotum dicitur, postquam dixerit Evangelium, et orationem, cum videlicet infirmum Oleo perungit.*

Menard in
Cod. sacr.
S. Greg.
p. 253.

22. In veteribus Codicibus et latinis utpote Sacramentario S. Gregorii habetur: *Multi Sacerdotum infirmos perungent in super in quinque sensu. Et alibi: Imponunt manus super infirmum omnes Sacerdotes, jubente, vel permittente tantum Episcopo, quia canonicus fit ordo docet.*

23. Novo jure rescripsit Alexander III. unum Presbyterum ad administrandum Sacramentum Extremae Unctionis sufficere. *Sacerdos, inquit, uno praesente Clerico, et etiam solus infirmum ungere potest.* Refert. c. 14. de V. S.

24. Re-

24. Refertur ergo pluralitas Sacerdotum ad solemnitatem, et utilitatem Sacramenti. S. Thomae rationes sunt: *Quia hoc Sacramentum perfectae curationis effectum habet, et in eo requiritur copia gratiae, competit huic Sacramento, quod multi Sacerdotes interfint, et quod oratio totius Ecclesiae ad effectum hujus Sacramenti adjuvet.* Unde Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiae, et oratio fidei sanabit infirmum.* Si tamen unus solus Presbyter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Ecclesiae, cuius minister existit, et cuius personam gerit.

s. Thom.
contr.
Gent.
lib. 4.
c. 73.

25. Monet in Concilio Mediolanensi IV. S. Carolus Parochum, ut id Extremae Unctionis Sacramentum ministraturus, quot commode potest, Presbyteros, et Clericos adhibere studeat, superpelliceo indutos: qui ipsum, et ministrantem, et praecantem, pietatis, et orationis studio in eo ministerio adjuvent. En argumentum veteris disciplinae reducenda.

Conc.
Mediol.
IV. P. 2.
c. 6.

26. Jure novo inter Sacerdotes soli Parocco administratio Extremae Unctionis reservatur. Clemens V. censuram excommunicationis. S. Sedi reservatae, ipso facto strinxit in omnes Religiosos, si vel Clericis, vel Laicis Sacramentum

S. Unctionis, praeterita super hoc spe-
ciali licentia Parochialis Presbyteri,
ministrare praesumpserint. Clem. I. de
Privil.

Conc. Me-
diol. V.
P. r.
Tit. II.

27. S. Carolus in Concilio Mediola-
nensi V. edidit hoc Decretum: *Ne, in-*
quit, alius Sacerdos, nisi Parochus
hoc Sacramentum Extremae, Unctionis
ministret. Si porro is impeditus, aut
alias in mora est, mortisque periculum
in stat, tunc Sacerdos alius ministret
licet.

P. 2. de
iis, quae
pert. ad
Extr.
Unct.

28. Reliqua recentiorum Concilio-
rum Decreta spectant ea, quae admi-
nistrationem Sacramenti vel praecede-
re, vel comitari, vel subsequi debent.
Monet Concilium Mediolanense IV. Pa-
rochum: *Hoc curet diligenter, ut die*
noctuque ad Extremae Unctionis Sa-
cramentum ministrandum praefesto sit,
et paratus.

Conc. Td.
Tolos. P. 2.
C. 9.

29. Decretum Concilii Tolosani de
Anno 1590. sic sonat. *Cum callidus ser-*
pens, et hostis humani generis calca-
neo insidiari, hominemque in extremo
spiritu oppugnare maxime soleat, ae-
grotos Parochi, quanta maxima fieri
poterit charitate visitabunt, consola-
buntur, instruent, ultro sese offerent
iis, etiam non vocati, dabuntque se-
dulo operam, ne in id tempus sacram,
extremamque, Unctionem differant,
quo novissima conficitati valetudine,

auctiorique modo, tam profuturi Sacramenti commoda, quod frequenter nimium accidit, satis agnoscere non possint.

30. Ait Concilium Mediolanense I. Parochus, cum ad ungendum infirmum accesserit, diligenter eum consoletur, et hortetur, ut bono animo sit; et se a curis, ac desideriis hujus vitae ad caelestis beatitudinis cogitationem erigat, ut abjecto mortis metu, se a Deo in aeternam requiem vocari gaudeat. Omnes vero, qui adsunt, moneat, ut preces Christo Domino pro eo faciant.

31. Juxta Concilii Remensis de Anno 1583. Decretum: Nec putet suo satisfactum officio Sacerdos, si semel tantum aegrotum inviserit, dum Unctio fuit adhibenda: sed, quam diutissime poterit, eum consoletur, et inculcat, quae spectant ad salutem — — atque quousque e vivis excesserit, assistat, et operam impendat.

32. Aliquando disputatum fuit, an Sacramentum Extremae Unctionis reiterari posset, eo quod species solemnis Poenitentiae censeretur? Praeplacuit moderamen, ut iterationi locus relinqueretur, si infirmitas, aut saltem status infirmitatis mutaretur. Inquit Synodus Tridentina: Quod si infirmi post suscep tam hanc Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsi-

Conc.
Mediol. I.
P. 2 de
iis, quae
pert. ad
Extr.
Unct.

Conc.
Rem. de
Extr.
Unct.

Trid. sess.
14. de
Extr.
Unct.
cap. 3.

dio juvari poterunt, cum in aliud simile vitae discrimen, licet ex eodem morbo, inciderint.

Conc.
Burdig.
Tit. 13.

33. Ait Concilium Burdigalense: *eos praeterea adesse oportet morientibus, eosque sanctis admonitionibus, et piis precibus omniratione juvare; ut, quod eis supereft vitae, in vera, et Catholica fide possint explere, ne propter peccatorum suorum multitudinem, atque gravitatem ullo modo de divina misericordia desperent.*

Eccl. 7.
v. 39.

S. Hier.
ad Nepot.
Conc. Me-
diol. I.
P. 2.
Tit. 1.

Mediol.
V. P. I.
Tit. II.

* 34. Quid hac, aliaque occasione salubrius supereft, quam reliquis sacris auctoritatibus paternam curam infirmorum Pastoribus commendare? Scriptum est: *Non te plegeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.* Inquit S. Hieronymus: *Officii tui est, visitare lanquentes.* Juxta Decretum Concilii Mediolanensis I. *Parochi — aerogrotos — etiam non vocati invisant, ut ad Sacramentum suscipiendum, si opus est, inducant: et eorum animabus, quacunque ratione possunt, sollicite consulant.* En Decretum Concilii Mediolanensis IV. *Quod Concilio Agathensi cautum est, id unusquisque Parochus praestare curet, ut Missae sacrificio peracto siquos in Parochiali vicinia aerogrotos habet, frequenter, atque ideo quotidie, quantum per alias suae curiae Parochialis occupationes potest,*

*invisat, atque eisdem praefet, quae
sint sollicitudinis, munerisque Paro-
chialis officia, prout opus esse viderit.*

T I T V L V S IX.

De Sacramento Ordinis.

C A P V T I.

De Materia et Forma Sacramenti.

1. En Decretum Synodi Tridentinae: Trid. sess.
23. de
Sacr.
Ord. c. 2.
*Si quis, inquit, dixerit, praeter sa-
cerdotium non esse in Ecclesia Catholi-
ca alios Ordines, et maiores, et mi-
nores, per quos, veluti per gradus
quosdam in sacerdotium tendatur; a-
nathema fit.*

2. In veteri disciplina latina non nisi Diaconatus praeter Sacerdotium ex majoribus Ordinibus fuit. Supereft hic usus et hodie in Ecclesia graeca. Novo jure Latini et Subdiaconatum inter maiores Ordines adoptarunt. *c. 9. de Aetat. et qualit. et Ord. praefic.*

3. Ait Gratianus: *Levitas autem or-
dinatos ab Apostolis legimus, quorum
maximus fuit B. Stephanus; Subdia-
conos, et Acolythos procedente tem-
pore Ecclesia sibi constituit. In Ecclesia
latina inde a saeculo III. quatuor mino-
res Ordines, qui hodie supersunt, re-
ceptos legimus. In Ecclesia graeca non-*

nisi Lectoratus ex numero eorum Ordinum notus est. In Ecclesiis tum latinis, tum graecis et Cantoratus, seu Psalmista alicubi, et aliquando ex numero minorum Ordinum censebatur. *Grat. praefat. ad c. i. D. 21.*

Ibi. can. 3. 4. Pronuntiat Concilium Tridentinum : *Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram Ordinationem non esse vere, et proprie Sacramentum, a Christo Domino institutum — anathema sit.* Constat Tridentino Decreto veritas, etiam si solus Presbyteratus Sacramentum dicereatur, quia indefinita propositio in materia contingentи plerumque in propositionem particularem a Logicis resolvitur. Hodie in scholis satis vulgare est, Subdiaconatum, et reliquos minores Ordines a ratione, et dignitate Sacra-menti expungi.

Eug. IV.
Decr. pro
Armen. 5. Juxta Decretum Eugenii IV. *Sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, et patenae cum pane porrectionem, veluti materiam : Diaconatus vero per libri Evangeliorum porrectionem.* Explicat Pontifex his terminis materias vulgares latinae Ecclesiae in usu Scholae. Graeci omnes Ordines conferunt per manus impositio-nem. In Ecclesia latina quondam haec instrumenta pro majoribus Ordinibus caeperunt post ordinationem exhiberi, ut inde has materias recentiores

ab essentialibus merito distinquare oporteat.

6. Ecclesia graeca nec olim, nec hodie in Episcoporum, aut Presbyterorum ordinatione Unctionem adhibere consuevit. Ecclesia latina eam serius recepit saltem in ordinatione Presbyterorum. Concilium Tridentinum anathema dicit: *Si quis dixerit, sanctam Unctionem, qua Ecclesia in sancta Ordinatione utitur, non tantum non requiri sed contemnendam, et pernitiosam esse similiter et alias caeremonias Ordinis; anathema sit.* Ecce S. Unctio inter caeremonias refertur.

7. S. Epiphanius Aerium stoliditatis arguit, quod Presbyteris aequae, ac Episcopis jus ordinationis vindicaret. Si quidem unus Ordo (Episcopal) ad dignendos Patres pertinet: *hujus enim est Putrum in Ecclesia propagatio: alter (Presbyteralis) cum Patres non posset, filios Ecclesiae, lotionis generazione produxit, non tamen Patres, aut Magistros.*

8. Ex sententia S. Chrysostomi: *Sola quippe Ordinatione superiores illi (Episcopi) sunt, atque hoc tantum plus, quam Presbyteri, habere videntur.* Ait S. Hieronymus: *Quid facit Episcopus (excepta Ordinatione) quod Presbyter non faciat.* Refert. c. 24. §. I. D. 93.

Trid. ibi.
can. 5.

Cap. 2.
De Minist.
Ordinat.
S. Epiph.
haeres. 56.

S. Chrys.
hom. II.
in ep. I. ad
Timoth.
c. 3.

Trid. fest.
23. de
Sacr.
Ord.
can. 7.

9. Inde Synodus Tridentina pronuntiat: *Si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi, vel eam quam habent, esse illis cum Presbyteris communem anathema sit.*

10. Manifestum est, S. Synodum de ordinaria potestate ordinandi loqui, cum ignorare alias non potuerit. Abbates titulo, privilegiis, et novo jure minores Ordines suis Regularibus conferre, esseque nonnullis Theologis persuasum, et Presbyterum posse ex delegatione Episcopi, aut Papae ordinare Diaconum, aut et Presbyterum juxta illam sententiam Gloffae: *Ordinatus Ordinem, quem habet, confert, Papa delegante.* Gloffa ad can. 4. D. 5. de Conf.

11. Juxta reliquos Canones statutum est, ut quisque a proprio Episcopo ordinaretur. Ait B. Augustinus: *Recense Concilium, ibi invenies de solis Clericis, non de Laicis fuisse statutum.* Quippe veteri more quisque prima ordinatione subditus illi Episcopo censebatur, ut abhinc a nullo alio promoveri posset. c. 2. etc. D. 71.

12. Jure novo ex argumentis juris civilis forum originis, domicilii, et beneficii, veluti rei sitae, adoptare placuit, ut inde tres proprii Episcopi ad consequendos Ordines emerserint. c. 3. de Temp. Ord. in 6.

13. Papa habet jus ex universo orbe, et pro universis Ecclesiis ordinandi quemcunque Clericum. Jure novo cautum hac occasione fuit, ne Clerici a Papa ordinati exemptionem praetenderent.

c. 7. de Maj. et Obed.

14. Successere privilegia, quibus Papa nonnunquam jus faciebat, ut quisquam a quoque Catholico Episcopo quem elegisset, ordinari posset. Concilium Tridentinum abolevit privilegia titularium Episcoporum, qui indiscretiores ordinationis in locis nullius Diaecesis, aut exemptis, aut Monasteriis sibi arrogabant.

Trid. sess.
14. c. 2.

15. Alibi S. Synodus instaurat regulam, ut *unusquisque a proprio Episcopo vel originis, vel domicilii, vel beneficii, ordinetur.* Quod, si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam *cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii praetextu permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.*

sess. 23.
c. 8.

16. Quum aliquando Pius V. Mendicantibus jus fecisset, praeterita Ordinariorum licentia, ordinationes a quolibet Episcopo recipiendi, eam constitutionem expunxit Gregorius XIII. ut terminos Decreti Tridentini restitueret. Hinc sub Clemente VIII. S. Congregatio declaravit, *Superiores Regulares posse*

suo subdito itidem Regulari, qui praeditus qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litteras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diaecesanum, nempe illius Monasterii, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, is Regularis positus fuerit. Et, si Diaecesanus absfuerit, vel non habuerit Ordinationes, ad quemcunque alium Episcopum, dum tamen ab eo Episcopo, qui Ordines contulerit, examinetur quoad doctrinam etc.

Innoc.
XII. Bull.
specul.

17. En uberiorem Innocentii XII. Constitutionem! Decernimus, et declaramus, inquit, nulli Episcopo, seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licere exterrnum quempiam, ac sibi ratione originis, seu domicilii, juxta modum inferius declarandum, legitime contrati non subditum, ad Clericalem tonsuram promovere, cuiusvis beneficii ecclesiastici ei statim, ac tonsura hujusmodi insignitus fuerit, seu ad quod is a Patronis jam praesentatus, seu nominatus fuerit, praetextu, etiamsi beneficium praedictum de novo ea expressa adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediate post clericalem characterem susceptum ad illud instituatur: praeterea Clericum, qui legitime jam a proprio Episcopo ad eandem Clericalem tonsuram, seu etiam

ad minores Ordines promotus fuerit,
non posse ab alio Episcopo , ratione ,
ac titulo cuiuscunque beneficij in illius
Diaeceſi obtenti , ad ulteriores Ordines
promoveri , nisi ante eorundem ſuſcep-
tionem testimoniales litteras proprii
Episcopi tam originis , quam domicilii
ſuper ſuis natalibus , aetate , mori-
bus , et vita ſibi concedi obtinuerit ,
easque Episcopo ordinanti , in actis
illius Curiae conservandas exhibuerit .
Licet vero Clericus ratione cuiusvis
beneficij in aliena diaeceſi obtenti , ſub-
jici dicatur jurisdictioni illius Epi-
ſcopi , in cuius diaeceſi beneficium hu-
juſmodi fitum eſt , eam tamen de cae-
tero hac in re inconcuſſe ſervare vo-
lumus Regulam , ut nemo hujuſmodi
ſubjectionem ad effectum fuſcipiendi
Ordines acquirere ceneat , niſi be-
neſcium praedictum ejus fit reditus ,
ut ad congruam vitae ſuſtentationem
ſive juxta taxam synodalem , ſive ea
deficiente , juxta morem regionis pro
promovendis ad SS. Ordines , detra-
ctis oneribus , PER SE ſufficiat , illud-
que ab ordinando pacifice poſſideatur ,
ſublata quacunque facultate ſupplen-
di , quod deficeret fructibus ejusdem
beneficij cum adjectione patrimonii ,
etiam pinquis , quod ipſe Ordinandus
in eadem , ſeu alia quavis diaeceſi ob-
tineret ; ac Epifcopus ſic ordinans tam

*de praedictis testimonialibus litteris,
quam de reditu beneficij hujusmodi ex-
pressam in consueta collatorum Ordin-
num attestatione mentionem facere de-
bebit etc.*

18. Tam diversis, et amplis consti-
tutionibus opus fuit medendis pericu-
lis, et incommodis, quae ex recentiori
recursu ad varios Episcopos pro Ordini-
bus suscipiendis oriri videbantur. In Con-
ventu Cleri Gallicani de Anno 1657. Epi-
scopi persuasi, ex multiplici titulo, quo
jure novo proprius Episcopus efficitur,
ineptis Clericis occasionem suppeditari
obrependi in sacras ordinationes, ju-
stumque examen eludendi, optassent
unum solum Episcopum Originis pro
Ordinibus ordinarium esse reputandum,
quia ei de vita, natalibus, caeterisque
qualitatibus Ordinandorum citius, et
certius constare posset. Antiquitati
propius foret consilium eorum, qui,
expunctis vagis Ordinationibus, Episco-
pum beneficii praeoptarent.

Cap. 3.
De litter.
dimissor.

19. Antiquitus dimissoriarum littera-
rum amplior sensus fuit. Cum enim se-
cundum veterem regulam Clericus non
ordinaretur, nisi simul cuiusdam Eccle-
siae servitio illigaretur, ut ab ea nun-
quam, invito Episcopo, recedere pos-
set; si quis ad aliam Ecclesiam, seu
Diaecesin transeundi a suo Episcopo li-
gentiam meruisset, litteras accipiebat,

quibus ab obedientia sui Episcopi absolvebatur, ut ab alio Episcopo in Clerum cooptari posset. En Decretum Concilii Carthaginensis I. *Nullus omnino Clericus, in quocunque sit gradu, potestatem habeat, sine proprii Episcopi scripta dimissoria in alienae Ecclesiae catalogum referri.*

Conc.
Carth. I.
cap. 5.

20. Novo iure vulgaris sensus dimissoriarum restrictior est, ut Clerico nullum aliud jus faciant, quam quod ab alio Episcopo ordinari possit, illaeo reliquo omni jure, quod Episcopus in eum Clericum habuit, habetque. *Arg. c. 8. de Offic. Archid.*

21. Sicut ergo Episcopi sunt ordinarii Ordinum Ministri, ita et eis solis jure communi competit dare dimissorias. Ait Bonifacius VIII. *Inferiores Praelati, Religiosi, vel alii, nisi eis, quod suos Clericos, aut subditos possint, a quo voluerint Episcopo, facere ordinari, a Sede Apostolica specialiter sit indulatum, vel Officialis Episcopi (cum ad hoc ipsius officium se non extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impertiri.* Ref. c. 3. de temp. Ordin. in 6.

22. Concilium Tridentinum, expunctis recentioribus privilegiis inferiorum Praelatorum, edixit: *Nec ipsi Abbates, et alii exempti, et Collegia, et Capitula quaecunque, etiam Ecclesiarum Cathedralium litteras dimissorias aliquibus*

Trid. sess.
23. cap. x.

Clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur; concedant, sed horum omnium ordinatio servatis omnibus, quae in hujus S. Synodi Decretis continentur, ad Episcopos, intra quorum Diaecesis fines existunt, pertineat: non obstantibus quibusvis privilegiis etc.

23. Haec dimissoriarum reservatio jurisdictioni Episcopi vindicatur, ut et Episcopus electus, confirmatusque, licet consecratus non sit, dimissoriales dare queat: Quippe inde Episcopus et collationem Ordinum delegare potest.
Arg. c. 15. de Elect.

24. Hac ratione olim obtinuit, quod Capitulum Sede vacante daret dimissorias, donec Synodus hanc facultatem Trid. sess. 7. c. 10. Capituli Cathedralis restrinxisset. Juxta Tridentinum Decretum Capitulum Sede vacante nonnisi completo vacationis anno Laicos ad Tonsuram, et Clericos ad Ordines dimittere potest; quamquam intra vacationis annum possit litteras dimissorias iis concedere, qui arctati dicuntur, seu qui ratione beneficii tenentur intra annum, sub beneficii perendi periculo, certum quemdam Ordinem suscipere.

*sess. 23.
c. 9.*

25. Praecipit Concilium Tridentinum ipsis Episcopis, ut per se met ipsos Ordines conferant; quod, si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non

aliter, quam jam probatos, ad alium Episcopum ordinandos dimittant, quid clarius? A mente Ecclesiae vagae, et indiscretiores dimissiones alienae sunt. Ecce juxta Tridentinum Decretum aegritudo loco exempli est, quo indicatur, quod graves, et necessarias causas oporteat intercedere, ut Episcopus cuiquam dimissorias concedat.

26. Jure Decretalium vetat Clemens IV. aliquem ultramontanum ab Episcopo Italo ordinari, nisi in litteris dimissorialibus causa legitima exprimatur, quare illum Episcopus originis ordinare nolit, aut nequeat? c. i. *de temp. Ordin. in 6.*

27. Juxta Tridentinum Decretum si et justa causa exprimatur in litteris dimissionis, oportet testimonium vitae et morum, reliquarumque qualitatum, ad ordinationem requisitarum subjungere. Vetat enim S. Synodus, quemquam ab Ibi c. 8. alieno Episcopo ordinari, etiam cuiusvis generalis, vel specialis rescripti, aut privilegii praetextu; *nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur.*

28. Decreto S. Caroli in Concilio Mediolanensi III. haec praescribuntur: *Infirma valetudine, aliave justa causa impeditus Episcopus, si statos sacros Ordines habere non potest, et aliquem propterea Clericum suum ad alium E-*

Cone.
Med. III,
quae pert.
ad Ord.
sacr.

piscopum mittere velit, a quo alicui Ordini ecclesiastico adscribatur, testimonialibus litteris ei datis haec adscribat, et testata faciat, vitae impensis, et morum probitatem, doctrinam, quia idoneus, examine habito, judicatus est, ecclesiasticum Ordinem, quo est proxime iniciatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si vero majori Ordini adscribendus est, aetatem item, ac titulum, sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii, quod ille habet.

29. Supersunt aliquando causae, quod in ordinantem Episcopum examen Ordinandi litteris dimissoriis rejecere oporteat, quia ex remotis locis ad proprium Episcopum sine grandi incommodo reverti nequit. Ait S. Carolus in Concilio Mediolanensi V: *In hoc casu liceat examen illud speciatim Episcopo delegare, in cuius diaeclesi illi morantur: at vero tunc litteras dimissorias non det, antequam examinis facti litteras ab eo acceperit, cui illud delegavit.*

30. Ex Decreto Tridentino facultates de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam; et tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diaeclesi residente

Conc.
Med. V.
P. 3. de
init. Ord.
sacr.

Trid. sess.
7. c. II.

residente, aut pro eo Pontificalia exer-
cente, et diligentि Praevio Examine.
Juxta declarationem S. Congregationis
Episcopis, quibus alienum subditum or-
dinandi tribuitur per litteras dimisso-
rias facultas, reliquum est, quod et
eos, quos proprii Episcopi testantur ex-
aminatos, idoneosque repertos fuisse,
ad novum examen vocare possint, licet
non teneantur, nisi scirent, ipsum esse
indignum, ut rejici mereretur.

Fagn. ad
capt. 16.
de praeb,
n. 52.

31. Reliquae sunt cautelae S. Caroli
in Concilio Mediolanensi IV. evulga-
tae: utpote ne *Episcopus cuiquam*,
antequam S. Ornationis tempus proxí-
me instet, litteras dimissorias pro Or-
dinibus, ab alieno Episcopo suscipien-
dis, sine necessitatis causa unquam con-
cedat: neque item iisdem litteris fa-
cultatem det plures Ordines suscipien-
di, quam illos ipsos tantum, quos
uno, eodemque tempore ab eo suscipi
voluerit, ac per sacros Canones, con-
ciliaque licuerit. Praefinitat praeterea
in illis ipsis certum suscipiendi Ordi-
nis, cui quisquam adscribendus est,
tempus, quo praefituto tempore trans-
acto, eas litteras, eo nomine a se
concessas, ei imposterum nihil suffra-
gari, nihilque roboris habere iisdem
litteris declarat.

Conc.
Med. IV.
quae pert.
ad Ord.
facr.

Cap. 4. 32. Omnibus Episcopis praeceptum
De Exa- putamus, quod S. Paulus ad Timotheum
mine Ord. perscripsit: *Nemini, inquit, cito ma-*
nus imposueris, neque communicave-
ris peccatis alienis. Quippe indiscre-
tioribus Ordinationibus grandis occasio
tribuitur scandalis, et criminibus.

33. Inquit S. Leo: *Quid est cito ma-*
nus imponere, nisi ante aetatem matu-
ritatis, ante tempus examinis, ante
meritum laboris, ante experientiam
disciplinae, sacerdotalem honorem tri-
buere non probatis? Et quid est com-
municare peccatis alienis, nisi talem
effici Ordinatorem, qualis ille est, qui
non meruit ordinari? Refert. c. 3. D.

78.

S. Chrys.
hom. 16.
in ep. ad
Timoth.

34. Ex sententia S. Chrysostomi, *quid*
est illud cito? Non ex prima probatio-
ne, nec secunda, nec tertia, sed ubi
consideratio praecepsit, exactissimaque
discussio, tunc imponito manus. En-
gravitatem tanti negotii.

35. Redundant his cautelis, nemine
excepto, veteres Canones. Inde et in-
ter Monachos justo selectui locus fuit,
ut in sacerdotium haud cooptarentur,
nisi illi, *quos morum gravitas, ac vi-*
tiae, et fidei institutio sancta commen-
dat. Quid clarius illa sententia Siricij?

Siric. ep.
1. c. 13.
Trid. fest.
23. c. 12.

36. Novissime Concilium Tridenti-
num diserte veteres illos Canones in-
stauravit. *Sciant, inquit, omnes Epi-*

scopi, non singulos, in ea aetate constitutos debere ad hos Ordines assumi; sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minore aetate, nec sine diligenti examine Episcopi ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis?

37. Veteri more Ordinandorum nomina publice populo denuntiare placuit, ut de eorum vita, et conversatione testimonium redderet. Ait S. Cyprianus : *Ordinationes non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportet, ut plebe praesente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita praedicentur.*

S. Cypr.
ep. ad
Cler.
Hisp.

38. In Concilio Carthaginensi IV. decretum est, ut *Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ita, ut civium conniventiam, et testimonium quaerat.* Ecce a populo testimonium vitae, reliquorumque merritorum quaeritur, quod uberiore examine, et experimento discutit Clerus, ut Episcopo justum consilium suggerere queat? c. 6. D. 24.

39. Aucto Clero selectiores, et petitiores Examinateores ex reliquis feli-gendi videbantur, qui justo consilio ad-essent Episcopo. S. Gregorius Adeodato Episcopo rescripsit: *Si quando de his recipiendis (ad sacros Ordines) tracta-*

S. Greg.
lib. 2.
ep. 48.

ri necesse est, graves, expertosque viros consiliis vestris adhibete participes, et cum eis communi de hoc deliberatione pensate.

40. Praecipit Concilium Nannetense: Tunc Episcopus a latere suo (id est, Clero Cathedrali) eligere debet Sacerdotes, et alios prudentes viros, gnos divinae legis, et exercitatos in disciplinis ecclesiasticis. Refert. c. 5. D.

24.

41. Jure Decretalium Episcopo examen ordinandorum vindicatur; est enim generaliter, et regulariter observatum, quod ad eum examinatio personae pertineat, ad quem impositio manus spectat. c. 34. de Elect. Si ergo alicubi examen ordinandorum Archidiacono adscribitur, Episcopus haud exclusus intelligitur, quin examinatos ab Archidiacono iterum suo examini possit subjicere. Gloss. ad c. 16. v. Examinari de Æstat. et qualit.

42. Saeculo XVI. alicubi invaluit, quod Scholaisticus Cathedralis, et alii Praelati, jure Episcoporum sublato, examen Ordinandorum suae auctoritati affererent. Hac occasione Synodus Coloniensis Anno 1549. censuit, examen ad sua principia, hoc est, ad Episcopos revocare, quibus ex lege divina incumbit, nemini cito manus impone-re. Et infra: Eaque de causa, inquit,

Synod.
Colon. de
alt. med.
ad Re-
form. c. 2.

requirimus Provinciae nostrae Episcopos in Domino, ut vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, vel curam illam imponant viris piis, doctis, et de Ecclesiae profectu sollicitis, quorum diligentia fit eis explorata.

43. Hoc exemplo Synodus Tridentina statuit, ut *Episcopus Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis, quorum diligentia et integritas ei sit probata, Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.*

44. S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. saluberrime instituit, ut *id Episcopus, quantum per occupationes sibi licet, maxime curet, ut, cum experimentum, examenve de iis instituitur, qui Ordinibus praesertim majoribus initiandi, quique Ecclesiis Parochialibus praeficiendi sunt, ipse praesens in eo examine adsit.*

45. Concilium Mediolanense V. universos Examinatores monet, ut, *qui cunque sint, noverint sibi munus adeo grave committi; ut, si negligenter, aut male se ullo modo gesserint, Deo imprimis culpae, in eo munere admissae, exactam rationem reddituri sint.*

Trid. sess.
28. c. 7.

Conc.
Med. IV.
P. 2. Tit.
quae pert.
ad sacr.
Ord.

Conc.
Med. V.
P. 3.
Tit. 2.

Quare non spe, non metu, non prae-
mio, non personarum ratione, non
aliquo affectu ducti, muneris sibi com-
missi curam gerant. Proposito sibi im-
primistimore Dei, ne quemquam, quem
in pignum noverint, probent: rursus
quem experimento, periculove facto
idoneum, dignumque comperiunt, ne
rejiciant.

Trid. sess.
23. c. 14.

46. Quid ergo in tam justo examine
spectandum est? Inquit Synodus Tri-
dentina: *Ita pietate, accastis moribus*
conspicui sint, ut praeclarum bano-
rum operum exemplum, et vitae mo-
nita ab iis possint exspectari. Seu juxta
Pontificale quod odor vitae eorum sit
delectamentum Ecclesiae Christi; ut
praedicatione doctrinae, atque exem-
pto morum aedificant domum, id est,
familiam Dei.

a. 5.

47. Quum ergo integritas morum
praecipue desideratur Ordinandorum, ut
irreprehensibiles sint, praecipit S. Sy-
nodus, ut hi, qui ad singulos maiores
Ordines erunt assumendi, per mensem
ante Ordinationem Episcopum adeant,
qui Parochio, aut alteri, cui magis
expedire videbitur, committat, ut no-
minibus, ac desiderio eorum, qui vo-
lent promoveri, in Ecclesia propositis,
instar bannorum Matrimonialium, de
ipsorum Ordinandorum natalibus, ae-
tate, moribus, et vita a fide dignis

diligenter inquirat; et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat. Quid salubrius hoc Decreto? Passim tamen recidit usus eo, quod Ordinandi a Parocho, vel frequenter a studiorum Directore litteras testimoniales doctrinae, et morum paulo ante ordinationem afferre satis habeant.

48. Inde succedit aliud examen. Tridentina Synodus antiquorum Canonum vestigiis inherendo decernit, ut, quando Episcopus Ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad S. ministerium accedere voluerint, feria IV. ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis divinae legis, ac in ecclesiasticis sanctonibus exercitatis sibi adscitis, Ordinandorum genus, aetatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet. Nostra aetate plerumque Episcopi ab examinis hujus praesentia se dispensant, relicturi totum negotium delectis Examinatoribus.

49. S. Carolus Examinatoribus certam formulam praescripsit, qua illorum, qui examinantur, et litterarum doctrinam, et vitae clericalis disciplinam, et rei ecclesiasticae peritiam ex-

s. Carol.
in Conc.
Med. V.
P. 3. c. 2.

periantur, in omni experimenti, examinisve ratione S. Bibliis; Catechismo Romano imprimis, Concilio Tridentino, SS. Canonum Decretis, et aliis Pontificis constitutionibus, Synodisque tum Provincialibus, tum Diaecsanis usuri, unde suas interrogaciones hauriant, quibus, prout est illorum ingenii captus, explorent et eorundem scientiam, et ecclesiasticarum rerum notitiam, atque usum.

50. Inter haec inquit S. Carolus; Cum vero a caeteris omnibus — qui clericali militiae adscribuntur, de vitae spiritualis, sanctiorisque institutis, atque exercitationibus perquiratur, tum maxime ab iis, qui vel Sacerdotio initiantur — a quibus omnibus, et singulis, cum ad examen veniunt, praeter caetera, quae ad sanctae spiritualis vitae usum pertinent, ea maxime explorentur, quae de orandi modo, deque omni SS. meditationum, coelestiumque contemplationum exercitatione ab aliis, qui in eo genere religiose se exercuerunt, tradita sunt.

51. Reliquum est, quod in Concilio Mediolanensi IV. S. Carolus SS. Ordinum Candidatis pia exercitia commendet. Subdiaconatum suscepturnus, quo diligentius vitae perpendat rationem, cui se, illum suscipiendo sancte obstringit: ac proinde de re tota accura-

tius deliberata, puriore mente, ardentioreque animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo S. Ordine initietur, ad aliquem semotum locum adeat, ubi ab omnibus curis, et occupationibus liber, cum omnis anteaetiae vitae suae diligentia conscientiae suae discussione peccata rite confiteatur; tum in salutaribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, Duce, et moderatore sibi adhibito, religioso viro, eorum usu perito, quem Episcopus preeprimis probarit. Quid funestius neglectu tam salutarium Decretorum.

52. En rationes, ordinemque intersticiorum! In Concilio Sardicensi: Osius Episcopus dixit: *hoc quoque necessarium existimo, ut cum omni cura, et diligentia examinetur, ut — in uno quoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episcopatus fastigium possit ascendere per progressionem.* Habet autem uniuscujusque gradus Ordinis non minimi, scilicet temporis longitudinem, per quod et fides, et morum probitas, et constantia, et moderatio possit cognosci.

53. Haec progressio per illa intersticia eiusque Ordinis instar tyrocinii spectabatur, ut explorandis, parandisque meritis inferioris Ordinis ad ascensum

Cap. 5.
De Ord.
Interstit.
Conc.
Sardic.
c. 10.

superioris Ordinis morosus locus esset. Veteri hinc more protractiores v. g. per quinquennium morae inter singulos Ordines fuere. c. 2. et 3. D. 77.

54. Inde et in minoribus Ordinibus hic usus stetit. Pristinis enim illis saeculis nemo quocunque Ordine initiatatur, nisi ut suscepit Ordinis functiones actualiter exerceret, et tanquam v. g. Ostiarius, aut Accolythus ministraret. Cum ergo singulorum Ordinum diversae essent functiones, nemo duobus Ordinibus eodem tempore initiandus videbatur, quia alienum a ratione fuisset, duobus Ordinibus aliquem insignire, qui nonnisi unius Ordinis functionibus vacare poterat. In reliquis, si quis majorem Ordinem mereri censebatur, quin in minore proximo, vel remotiore Ordine esset probandus, minor ille Ordo praeteribatur; nam mox ad superiorem ascendendi jus erat; neque taliter promotus per saltum ordinatus judicabatur; aut Ordo omisus, priusquam in Ordine superiore ministrare posset, suppleri debebat.

55. Novo jure statutum, ut quisque inferior Ordo ad integratem superioris ordinationis requireretur. In epistola Decretali Cajo Pontifici attributa ab omnibus servari mandatur, *ut ad Ordines Ecclesiasticos sic ascendant in Ecclesia, cui ordinari merentur; id est,*

si quis Episcopus esse meretur, sit primo Ostiarius, deinde Lector etc. Ref. c. 1. D. 77.

56. Unde invaluit, quod per saltum promotus censeretur, si vel uno omisso ordinaretur. Nam in suscepto Ordine suspensus est, donec omissum Ordinem receperit, et dispensationem obtinuerit, ut in superiore Ordine possit ministrare. c. un. de Cler. per salt. promot.

57. Concilium Tridentinum tum de Trid. sess. Ordinibus majoribus, minoribusque pro- 23. c. 14. nuntiat: *Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare; scilicet, ut in Ordine suscepto possint ministrare, postquam Ordinem omissum suscepserint.*

58. Recentior, ac moderna Disciplina Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur, et infistat: sed insuper necessarios, requirit ad majorem, ita, ut Ordini superiori aliquid quasi deesse videatur, si omissio inferiori esset collatus.

59. Statuit Concilium Tridentinum, c. 13. et ut promoti ad S. Subdiaconatus Or- 14. dinem, si per annum saltēm in eo non sunt versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascende-re non permittantur. Similiter et pro Diaconatu annua interstitia praecepta

funt. Atque annum non civiliter, sed ecclesiaстice; v. g. a Paschate usque ad Pascha computare oportet.

60. Relinquitur tamen Episcopo dispensandi in interstitiis, id est, ea interstitia annua contrahendi facultas, hac tamen cautela, *ut duo sacri Ordines uno, eodemque die etiam Regularibus non conferantur, privilegiis, ac in dultis non obstantibus quibuscumque.*

61. Jure Decretalium soli Romano Pontifici reservatur, quod quisquam extra tempora ordinari possit. Hinc moris est, quod ad S. Sedem recurrere oporteat eos, qui vel uno, eodemque die plures Ordines sacros suscipere, ve extra statuta tempora ordinationum ordinari volunt. *c. 3. et 4. de temp. Ord.*

62. Supereft, ut de titulo ordinandorum agamus. Veteri jure tituli alia notio in ordinationibus non fuit, quam Ecclesiae, cuius ministerio quisque per ordinationem stabiliter adscribebatur: In Canonibus Isaaci, Episcopi Lingonensis, saeculo IX. statutum fuit, *ut Presbyteri, qui in titulis consecrantur; secundum Canones, antequam ordinentur, promissionem stabilitatis illius loci faciant.*

63. Veteri enim more nemo fiebat Clericus, nisi Ecclesiae necessitate exigente ab Episcopo certae Ecclesiae ministerium fortiretur, ex qua et alere-

Cap. 6.
De Titul.
Ordin.

Capit.
Isaac.
Tit. 10.
c. 2.

tur: sic quoties Episcopus quemdam ordinabat, simul et officium, quod alicubi gereret, assignabat, ut relatus in catalogum ecclesiasticum, vel in dies, et menses ratam oblationum, vel aliorum proventuum acciperet. Quae nonnunquam obrepere vagae, et absolutae ordinationes, utpote ministerio certae Ecclesiae destitutae, a Concilio Chalcedonensi rejectae sunt. c. 1. D. 70.

64. Damnatae illae et sunt saeculo XI. ab Urbano II. in Concilio Placentino, cuius Decretum refert Gratianus c. 2. D. 70. En et Synodi Londinensis de Anno 1125. Decretum! *Nullus, inquit, in Presbyterum, nullus in Diaconum, nisi ad certum titulum* (id est certam Ecclesiam, cuius ministerio fungatur, fruaturque reditu) *ordinetur; qui vero absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.*

65. Duravit disciplina haec usque ad saeculum duodecimum, sub cuius finem Concilium Lateranense III. statuit, ut *Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministraret, donec in aliqua Ecclesia ei convenientia stipendia militiae clericalis assignet — Nisi talis ordinatus de sua, vel paterna haereditate subsidium vitae possit percipere.* Huic exceptioni sequi-

or interpretatio vocis possessionis, qua Concilium Calcedonense Oratorium pagi denotat, viam instruxit. Superest Decretum lateranense c. 4. *de Praebend.*

66. Occasione hujus interpretationis titulus ad sustentationem explicari ab eo tempore caepit. Reliquis enim novi juris argumentis firmata est regula, non esse necessarium, quod Clericus ministerio, reddituque Ecclesiae potiatur, dummodo vel ex subsidio Ordinatoris, vel ex proprio censu habeat, unde vivat; ne cum dedecore status ecclesiastici mendicare, aut sordida ministeria obire cogatur. c. 16. *de praeb.* c. 36. *in 6. ibi.*

67. Inter haec tempora saepe titulus patrimonii summae tenuis admissus fuit; aut nonnunquam et Episcopi officium subsidii recularunt, ut justae sustentationi locus fuisset. Hinc subnatis corruptelis Concilium Tridentinum diserte Decretum Chalcedonense restauravit, statuendo, *ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiae, aut pio loco, pro cuius necessitate, aut utilitate assunitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, ex redditu illius Ecclesiae alendus, ne incertis vagetur sedibus.*

Trid. sess.
23. c. 16.

Sess. 21.
c. 2.

68. Et supra: *Statuit S. Synodus, ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, et aetate, ad SS. Ordines*

*promovedetur, nisi prius legitime con-
stet, eum beneficium ecclesiasticum, quod
sibi ad vietum honeste sufficiat, pacifi-
ce possidere. Id vero beneficium resigna-
re non possit, nisi facta mentione, quod
ad illius beneficii titulum sit promotus;
neque ea resignatio admittatur, nisi
constito, quod aliunde commode vive-
re possit; et aliter facta resignatio nul-
la sit. Patrimonium vero, vel pensio-
nem obtinentes ordinari posthac non
possint, nisi illi, quos Episcopus judica-
verit assumendos pro necessitate, vel
commoditate Ecclesiarum suarum; eo-
que prius perspecto patrimonium, vel
pensionem vere ab eis obtineri, talia-
que esse, quae eis ad vitam susten-
dam satis sint, atque deinceps sine li-
centia Episcopi alienari, aut extingui,
vel remitti nullatenus possint, donec
beneficium ecclesiasticum sufficiens sint
adepti; vel alunde habeant, unde vi-
vere possint.*

69. *Nostris tamen moribus titulus pa-
trimonii, vel pensionis frequentissimus
est, cuius reliqua conditio est, ut vere,
et non ficte possideatur; sive quod re-
vera tanquam proprium illud habeat,
ut proventus illos libere sibi, suisque
usibus applicare queat. Ficte enim possi-
dere censetur, qui illud ea conditione ta-
cita, vel expressa accepit, ut illud qui-
dem in titulum ordinationis supponere,*

et affectare queat, sed nunquam proventus illius, quos integros, aut maiorem illorum partem danti relinquere velit, suos sit facturus. Sixtus V. censuram suspensionis in Clericos strinxit, qui facto titulo patrimonii ordinationibus obrepunt.

70. In recentiori, vulgarique usu Ordinationum ad titulum patrimonii Episcopi praejudicio, aut vitio non vacant, qui eo obtentu, quod desit titulus beneficii, aut patrimonii, viros bonos, doctosque, caeterisque dotibus instrutos leviter a SS. Ordinibus missos faciunt, indiscriminatim illis admissis, qui vel pinqui beneficio, vel ample patrimonio freti ordinandos sese offrunt.

S. August.
contr.
litt. Pe-
til. L. 2.
c. 30.

S. Ambr.
in I.
Tim. 5.

S. Greg.
Past. P. I.
c. 9.

Trid. fest.
23. c. 12.

* 71. Quid sententiis Patrum disertius? Ait B. Augustinus: *Ut sit quisque vere Sacerdos, oportet, ut non solum Sacramento, sed etiam justitia induatur.* Juxta S. Ambrosum: *Merita debent praevire bonorum operum, ut dignus habeatur ad ordinationem.* En sententiam S. Gregorii: *Ex antea-cta ergo vita se unusquisque inveniat, ne in appetitu culminis se imago cogitationis illudat.* Quid discretius Tridentino Decreto? *Non singuli — de- bent ad sacros Ordines assumi, sed digni duntaxat, et quorum probata vi- ta senectus sit.*

T I T V L V S X.

De diversis causis irregularitatum.

C A P V T I.

De Irregularitate in Genere.

1. In rationibus Ordinum ecclesiasticorum titulus meriti omne punctum fert, ut irreprehensibile ministerium appareat. Concilium Nicaenum Presbyteros sine examine meriti ordinatos irregulares inde pronuntiat: *Tales Regula non admittit; quia, quod irreprehensibile est, catholica defendit Ecclesia.*

Conc.
Nicaen,
c. 9.

2. Hoc exemplo elucet, jam pridem quasdam regulas fuisse evulgatas, quibus nonnulli ab ordinationibus simpli- citer arcebantur. Vetus formula plerumque habuit: *Sit alienus a Canone;* c. 17. *utpote a regula ordinationum rejectus.* Hac formula Concilium Nicaenum a Cle- ro missos facit eos, qui usurpas ex mu- tuo, vel aliunde turpe lucrum sectan- tur.

3. Vetus disciplina plerumque hac censura quosque criminis reos, aut sus- pectos perstrinxit: tam irremissibiliter, ut, et si poenitentiam egissent, restitui non mererentur. Inquit S. Siricius: *Siric.* *Quia, quamvis sint omnium peccato- ep. 2.* *rum contagione per Poenitentiam mun- dati, nulla tamen debent gerendorum*

*Sacramentorum instrumenta suscipere,
qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

4. Sensim vetus rigor desit, quia per Poenitentiam, et sacramentalem absolutionem remitto crimen, et impedimentum vetus sublatum censebatur. Hac occasione constringitur censura ad pauca quadam crimina, aliosque defectus, quibus ex speciali canone irregularitas scripta est. Nam jure novo pro regula invaluit, irregularitatem non contrahi, nisi in casibus a jure expressis. *c. 18. de Sent. Excom. in 6.*

5. Itaque si non ostendatur jure positivo huic delicto, vel defectui irregularitas annexa, non debet illius vitius reus se pro irregulari censere. Si autem constat, illi delicto, vel defectui esse annexam irregularitatem; sed dubium facti superfit, an quis delictum commiserit, ut irregularitatem contraxerit, in dubio pro irregularitate standum est. *c. 12. de Homicid. et ibi Interp.*

6. Supereft ex veteri disciplina, quod irregularitas per Poenitentiam haud aboleatur. Unde dispensatione ad eam abollendam, et eluendam opus est, ut ad suscipiendos Ordines, sublato irregularitatis impedimento, canonica habilitas impetretur.

Cap. 2.
De Irreg.
ex bigam.

7. Inter causas irregularitatis recentur Bigamia, quia S. Apostolus hanc conditionem diserte exprimit, ut quis

irreprehensibilis sit, oportere esse unius uxoris virum. *Oportet, inquit, Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.*

S. Paul.
Ep. I. ad
Tim. c. 3.

8. Quid clarius? Ex sententia S. Apostoli oportet quemque sine crimine, suspicioneque criminis esse, ut quis irreprehensibilis in Clero censeatur. *Siquis, inquit, sine crimine est, uxoris unius vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuria.*

Ad Tit
c. I.

9. Ait S. Chrysostomus: *Castigat hoc ipso etiam impudicos, dum non eos permittit post secundas nuptias ad Ecclesiae regimen, dignitatemque Pastoris assumi.* Quippe in secundis nuptiis incontinentiam, aut suspicionem incontinentiae subodorari licet.

S. Chrys.
hom. 2.
in ep. ad
Tit.

10. Hinc in Ecclesia graeca bigamiae irregularitas ex causa, aut suspicione criminis explicatur. Juxta Canonem Apostolorum: *Qui post sanctum Baptisma duobus implicitus fuit conjugiis, aut concubinam habuit; is Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel omnino ex numero sacerdotali esse non potest.* Ecce in censura irregularitatis bigamis aequiparatur ei, qui concubinam habuit.

Can. A-
post. 16.

11. Orientales proinde a censura irregularitatis excusant eos, qui in gentilitate, et ante Baptismum duas uxores duxerint, aut aliam ut gentilis, et ali-

am ut Christianus fortitus sit. Atque hanc sententiam S. Hieronymus, moris orientalis peritissimus, suam fecit. c. i.
D. 26. c. 1. XXVIII. q. 3.

12. In Ecclesia Occidentali alias rationes adducere placuit. Existimat enim est, nuptiarum iterationem simpliciter vitio esse ei, qui in Clerum cooptari vellet; nulla habita differentia matrimonii, quod quis in gentilitate, aut Christianismo contraxisset, quia in Baptismo peccata quidem remittuntur, non vero uxorum numerus aboletur. c. 3. *D. 26.*

13. In eo argumento rationes disciplinae Occidentalis praeprimis illustravit S. Augustinus: *De Sacramento enim, inquit, agitur; non de peccato; nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur;* sed non abolentur coniugia. c. 2. *D. 26. c. 2. XXVIII. q. 3.*

14. Novo jure explicat Innocentius III., irregularitatem bigamiae tunc contrahi, quando utrumque matrimonium consummatum per carnalem copulam fuit. *Profecto, inquit, ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum Sacramenti.* Refert. c. 5. *de Bigam. non Ordin.*

15. Juxta disciplinam utriusque Ecclesiae et illi irregularitate Bigamiae (interpretativam appellant) laborant,

qui viduam, aut aliunde corruptam duxerint. Ait Canon vulgaris Apostolorum: *Qui viduam duxit, aut divortio separatam a viro, aut meretricem — Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut deinceps ex consortio sacerdotali esse non potest.*

Can. A-
post. c. 17.

16. Graeci et hujus irregularitatis causam ex infamia, aut suspicione criminis, seu incontinentiae repetunt, innixi illis verbis Apostoli: *Filios habens fideles, non in accusatione luxuria. Inde pro ratione disciplinae Orientalis perorat S. Hieronymus his verbis: Tam sanctum nomen Sacerdotii est, ut nobis etiam ea, quae extra nos sunt posita, reputentur; non quod propter vitia nostra Episcopi non sumus, sed quod propter filiorum ex alieno thoro, uxorumque incontinentiam ab hoc gradu arcendi sumus.*

S. Hier.
in epist.
ad Tit.
c. 1.

17. In Ecclesia Occidentali et hanc irregularitatis speciem ex defectu mysticae significationis Sacramenti explicare placuit. Sic inquit Innocentius III.: *Cum ergo propter Sacramenti defectum (in ordine ad mysterium unius cum una) inhibitum sit, ne bigamus, aut maritus viduae, completa copula, praesumat ad sacros Ordines promoveri; quoniam nec illa est unica unius, nec iste unus unius. Refert. c. 5, de Bigam. non Ordin.*

18. Recentiori aevo successit Bigamia similitudinaria ad effectum irregularitatis praejudicio Canonis Ancyran, qui in versione graeca ita exprimitur: *Qui cunque virginitatem profitentes professionem suam, contractis nuptiis, irritam reddunt; ii bigamorum definitionem, in ordine ad agendam annalem Poenitentiam, impleant.* Reddit Gratianus ex versione Isidori textum. c. 24. XXVII. q. 1.

19. Novo jure definitionem hujus bigamiae, quam similitudinariam dicunt, ad effectum irregularitatis interpretari placuit. Rescripsit Innocentius III. exinde Clericos Monachosque, qui spredo voto solemni castitatis nuptias ambiunt, irregulares esse, *non propter defectum Sacramenti* (quod per impedimentum dirimens matrimonii nullum est) *sed propter effectum intentionis cum opere subsecuto.* Supereft rescriptum. c. 4. de Bigam.

20. In minoribus Ordinibus aliquando dispensatum cum bigamis fuit. Concilii Toletani I. hoc est Decretum. *Lector, si viduam alterius uxorem duxerit, in Lectoratu permaneat; aut, si forte necessitas fuerit, Subdiaconus fiat.* Notum enim est, veteri more Subdiaconatum inter minores Ordines fuisse relatum. Refert Decretum. c. 18. D. 34.

21. In Romana Ecclesia major rigor apparuit. Rescripsit Siricius: *Quisquis Clericus aut viduam, aut certe secundam conjugem duxerit, omni ecclesiasticae dignitatis privilegio mox nudetur, laica sibi tantum communione concessa.* Superest rescriptum c. 5. D. 84.

22. Hoc exemplo et novo jure statutum est, bigamos omni privilegio clericali esse nudatos, et coercitioni fori saecularis addictos, consuetudine contraria non obstante, quibus et sub anathemate prohibetur deferre tonsuram, vel habitum Clericalem. c. un. de Bigam. in 6.

23. Concilium Tridentinum functiones Ordinum minorum, si caelibes de-
Trid. sess.
23. cap. 17.
fissent, Clericis conjugatis restituit, vel concessit: sed ea conditione, *dummodo non bigami essent;* ergo nec ad exercitia horum Ordinum bigami admitti possunt, aut in iis tolerari.

24. Et quare non? Ait Lucius III. si bigami ad sacros Ordines fuerint promoti, eis ideo sunt privandi, quia in bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros Ordines promoveri, vel in eis, si promoti fuerint, remanere. c. 2. de Bigam. non Ordin.

24. Quid ergo? an nec cum bigamis similitudinariis dispensare licet? Decidit Innocentius III. cum eo contra do-

*Etrinam Apostoli tanquam marito vi-
duae dispensare non licet; non pro-
pter defectum Sacramenti, sed propter
affectionem intentionis cum opere subse-
cuto.* Refert. c. 7. ibi.

25. Et quid est, quod cum fornicati-
onibus, et adulteris Clericis dispensare pos-
sit Episcopus quoad executionem sacer-
dotalis officii? Enimvero praecipuum
est, quod requisivit Apostolus, ut quis-
que sine criminе sit. Non incurruunt illi
irregularitatem bigamiae; quamvis af-
fectus sequior intentionis cum opere sub-
secuto eluceat; sed rejiciuntur ad ir-
regularitatem criminis. c. 6. d. t.

Cap. 3.
De Irreg.
ex defect.
Natal.

26. Quum corruptis saeculis Ecclesiam
latinam propudiosus concubinatus Cleri-
infecisset, ac gravissimae violentiae, qui-
bus Duces, et Comites suos passim ex
ancillis bastardos violenter intrudebant
in sacras dignitates, eandem turbassent,
placuit irregularitatem criminis in infe-
licem progeniem propagare, quia ut
plurimum illegitime geniti parentum
vitia, et incontinentiam imitari solent.
Veteri jure irregularitatem ex defectu
Natalium ignoravimus. c. 3. etc. D. 56.

27. Ignorant eam irregularitatem et-
iamnum Orientales. Inter Nicephori Con-
fessoris Canones sic statuitur: *Qui ex
concubina, scorto, bigamis, aut triga-
mis nati sunt, si virtutibus praediti*

appareant, et sint sacerdotio digni, ordinentur.

28. In Ecclesia latina promulgata est haec irregularitas ab Urbano II. eo tenore: *Prebyterorum filios a sacris Altaris ministeriis submovemus, nisi aut in Caenobiis, aut Canonii religiose probati, fuerint conversati.* Juxta Gratianum hoc intelligendum est de illis, qui paternae incontinentiae imitatores fuere. Gratian. ad c. 1. D. 56.

29. Novo jure, abjecta Gratiani distinctione, juxta Decretum Concilii Picta viensis ad quosvis illegitimos irregularitatem extendere placuit, nisi aut Monachi, aut Canonici Regulares fierent. c. 1. de fil. Presb.

30. Concilium tamen Pictaviense Monachos, et Canonicos illos, si ex illegitimis natalibus orti fuissent, nonnisi ad Ordines sacros admisit, ut a Praelaturis Regularibus, saecularibusque exclusi essent. Rescripsit generatim Gregorius IX. *Nimis — — deformatur Ecclesiae honestas, ex eo quod filii Sacerdotum, et alii non legitime nati, ad dignitates, et Personatus, et alia beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione Sedis Apostolicae promoveantur.* Refert. c. 18. ibi.

31. Paulatim non tantum ad sacros Ordines, et majora beneficia, sed et ad Tonsuram, et minores Ordines, re-

liquaque beneficia simplicia defectum natalium in via irregularitatis extendere placuit, ita tamen, ut Episcopo relinqueretur facultas cum illegitimis dispensandi in ordine ad minores Ordines, et beneficia simplicia, dummodo talia essent, super quibus per Episcopum dispensari valet, utpote ut non sint Personatus, Praebendae Cathedrales, vel alia beneficia simplicia, quae majoribus propter quandam praerogativam accensentur. c. 1. *de fil. Presb. in 6.*

32. Decrevit Gregorius IX. dispensationem illegitimorum in ordine ad sacros Ordines, et beneficia curata, aliaque majora sacrae Sedi reservari. In stylo Curiae hinc pro obtainenda dispensatione Papae qualitates spuriatatis in precibus exprimere oportet; alioquin dispensatio censetur subreptitia; nam jure Decretalium inter Nothos, et Manzeres, Naturales, et spurios in ordine ad faciliorem, difficilioremque annutum gratiae distinquitur. c. 10. *de Renunt.*

33. Hoc principio, quod dispensationes et Papales sint in hoc argumento strictae interpretationis, rescripsit Bonifacius VIII., ei, qui a Sede Apostolica, ut non obstante defectu natalium possit ad omnes Ordines promoveri, beneficiumque etiam curatum obtainere, meruit dispensationem, secundam, et aliam dispensationem Papae, ut duo,

vel plura beneficia curata possit acquirere vel retinere, haud suffragari, nisi in secunda gratia defectus natalium rursus fuerit expressus: *Cum non sit verisimile, Sedem Apostolicam cum illo praedictum defectum paciente, voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluralitate beneficiorum hujusmodi dispensare.* Refert. c. 2. de fil. Presb. in 6.

34. Reliquis exemplis restrictioris interpretationis ex stylo Curiae simplex Papae dispensatio in defectu natalium pro Ordinibus suscipiendis intelligitur de minoribus, nec extenditur ad maiores Ordines. Si Papa dispensat, ut illegitimus Ordines etiam sacros suscipere possit, non censetur dispensatus propterea, ut et beneficium obtinere possit. Sit dispensatio Papae pro illegitimo concedit facultatem obtinendi et beneficium; dispensatus ea occasione non potest praetendere beneficium curatum. Si Papa illegitimo veniam facit, ut possit et beneficium curatum accipere, nec sub hac gratia continentur dignitates, et Praelatura, nisi exprimantur. Arg. c. 1. de Fil. Presb.

35. Si beneficium sit situm in eadem Ecclesia, in qua Pater ministrat, aut ministravit, necessario id exprimendum est, eo quod difficilius aut rarius dispensetur, ut illegitimus filius in paterna Ecclesia beneficium obtinere pos-

sit. c. 15. Ait Concilium Lateranense:
Ad abolendam pessimam, quae in plu-
ribus inolevit Ecclesias, consuetudi-
nem, firmiter inhibemus, ne Canonici-
corum filii, maxime spurii, Canonici-
fiant in saecularibus Ecclesias, in qui-
bus instituti sunt Patres eorum. Ref.
c. 16. d. t.

36. Et huic locus est, et si filii essent
ex legitimo matrimonio suscepiti, eo
tamen tempore, quo conjuges mutuo
consensu sese voto solemni castitatis ob-
strinxerunt: quippe et hi in censura ir-
regularitatis simpliciter illegitimi cen-
sentur. c. 14. ibi.

Trid. sess. 25. c. 15. Ut paternae incontinentiae memoria in
locis Deo consecratis, quos maxime
puritas, sanctitasque decet, longissi-
me arceatur; non liceat filiis Clerico-
rum, qui non ex legitimo matrimonio
nati sunt, in Ecclesias, ubi eorum Pa-
tres beneficium ecclesiasticum aliquod
habent, aut haberunt, quodcumque
etiam dissimile beneficium obtinere ullo
tempore; nec in dictis Ecclesias quo-
quomodo ministrare, nec pensiones su-
per fructibus beneficiorum, quae Pa-
rentes eorum abtinent, vel obtinue-
runt alias, habere. Quod si in praefi-
enti Pater, et filius in eadem Ecclesia
beneficia obtinere reperiantur, cogatur
filius suum beneficium resignare, aut

*cum alio permutare extra Ecclesiam
intra trium mensium spatum; alias
ipso jure eo privatus existat, et super
ius quaecunque dispensatio subreptitia
censeatur.*

38. *Ipso jure quicunque illegitimi dispe
nsati, aut legitimati in ordine ad
quosvis Ordines censemur per Professio
nem religiosam, ut tamen a Praelatu
ris, nisi specialem Papae dispensationem
desuper mereantur, five in eisdem, five
in aliis Monasteriis, tum in Ecclesiis re
gularibus, tum laecularibus, excludan
tur. c. 1. de Fil. Presb.*

39. *Superest plenior modus omnem
irregularitatem ex defectu natalium
tum ad quosvis Ordines, tum ad quae
vis beneficia abolendi per subsequens
matrimonium, si quocunque medio tem
pore matrimonium legitimum stare po
tuit inter Parentes, et si alio tempore
aliud matrimonium intercesserit. Fictio
ne enim juris matrimonium retrotrahi
tur ad punctum temporis favorabilis,
ut legitimati legitimis aequiparentur.
c. 6. qui Fil. fint. legit. et ibi Interp.*

40. *Reliquis juris novi argumentis et
filii legitimi Clericorum removentur ab
immediata successione in paterna bene
ficia, nisi a Papa justam dispensationem
obtinuerint. c. 17. de Fil. Presb.*

41. *En aliam speciem irregularitatis,
quam ex defectu lenitatis repetunt. Com*

mendant mansuetudinem tantam illa verba Apostoli: *Non percussorem.* Quippe Pastoralis officii est paucere omnes; occidere neminem.

42. Hinc illa vetus censura a Clero millos fecit milites, Advocatos, judices, et reliquos Ministros sanquinolentiae justitiae, quia Dominus non vult mortem peccatoris, sed magis, ut convertatur, et vivat. Refert Gratianus veteres auctoritates. *c. i. etc. D. 51.*

43. Veteri more disciplina Ecclesiae tam aliena a justitia, vel vindicta sanguinis humani fuit, ut econtra ad officium Episcopi rovocaret, pro ipsis malefactoribus apud Judicem, et Principem intercedere; non quatenus impunitas crimiñi daretur, sed quatenus correctio criminoso adhiberetur. Explicat tam salubres rationes S. Augustinus; *Morum porro corrigerorum nullus aliis, quam in hac vita locus est.* Nam post hanc vitam quisque id habebit, quod in hac conquiserit. Ideo compellimur, inquit, humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut, ea finita, non possint finire supplicium.

44. In Concilio Toletano VI. referuntur: *Saepe Principes contra quoslibet Majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua (eorum consilia vel audituri, vel sententiam rogaturi) committunt.*

S. August.
ep. 15. ad
Maced.

Quia vero a Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant Regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia praeparatur. Supereft in Decreto Gratiani. c. 29. XXIII. q. 8.

45. Et mox ex Concilio Toletano XI. His, a quibus Domini Sacra menta tractanda sunt, judicium sanguinis agitare non licet. Et ideo magnopere talibus excessibus prohibendum est; ne indiscretae praesumptionis moribus agitati, aut, quod morte plectendum est, sententia propria judicare praesumant, aut truncationes quibuslibet personis inferant per se, aut inferendas praecipient. Refert. c. 30. ibi.

46. His exemplis rescripsit Alexander III. irregulares esse, qui aut per se truncationes membrorum faciunt, aut judicant inferendas. Quod si quis, inquit, tale quid fecerit, honore privetur et loco. Refert. c. 5. ne Cler. vel Monach.

47. En Decretum Concilii Lateranensis IV. Sententiam, inquit, sanquinis nullus Clericus dicit, aut proferat: sed nec sanquinis vindictam exerceat, aut, ubi exercetur, auctoritative interfit. Supereft. c. 9. ibi.

48. Alibi respondit Alexander III., quod, si Rex quosdam malefactores puniendos judicio Episcoporum reliquistet,

possint eos multis, aut et flagris percellere, ea tamen cautela, ut flagra vindictam sanquinolentam haud transire videantur, quia graviorem excessum, qui mutilationem, aut supplicium meretur, oportet regiae sententiae reservare. c. 4. *de Rapt.*

Conc.
Oxon.
c. 7.

49. In Concilio Oxoniensi inde Decretum est Anno 1222. ut *Clerici beneficiuti, aut in sacris Ordinibus constituti non sint Seneschali, aut Ballivatium administrationum, nec jurisdictiones exerceant saeculares, praesertim illas, quibus judicium sanquinis est annexum.*

50. Excusavit tamen Bonifacius VIII. a censura irregularitatis Praelatos, quibus jurisdictione criminalis vi sui temporalis territorii competit, si suis Ministris, aut cuique alteri saeculari Judici demandant, in malefactores dictante iustitia procedere. Hinc hodie illi ecclesiastici Principes simpliciter Officiales constituunt saeculares, ut jure sui officii criminalem explicitent jurisdictionem. c. 3. *ne Cler. vel Monach. in 6.*

51. Innocentius III. excusavit et eum Episcopum ab irregularitate, qui quemquam Clericum merito sui criminis curiae tradit saeculari, si modo efficaciter intercessit, ut *Judex citra mortis, et mutilationis periculum circa eum sententiam moderetur.* Hodie haec nuda
for-

formula tum causa degradationis, tum
in processu Inquisitionis appetit. c. 27.
de V. S.

52. Hac formula protestationis et alios
Clericos a censura irregularitatis excusat Bonifacius VIII., qui apud judicem
saecularem civiliter injuriam sibi illatam
persequuntur, protestando, quod vindictam,
aut poenam sanguinis proposita
querela non intendant. Plerumque ho-
die haec Protestatio superflua est, quia
ad accusationem criminalem nemo, nisi
Procurator Fisci admittitur. c. 2. *de ho-*
min. in 6.

53. Juxta Concilium Lateranense et
illi Clerici irregulares declarantur, qui
executioni supplicii interfunt. Et certe
alienum est a rationibus status ecclesia-
stici his spectaculis adesse: censura ta-
men irregularitatis communi interpre-
tatione restringitur, qui per quandam
auctoritatem sententiae interfunt. Inno-
centius III. Albiganensem Episcopum
irregularitatem incurrisse decidit, quia
judicio sanguinis non tantum per praes-
sentatiam corporalem, sed et per aucto-
ritatem adstitit. c. 16. *de Excess. Prae-*
lat. Alibi usus habet, quod, si in Con-
filiis regiis causa criminalis agitetur, ipsi
Consiliarii ecclesiastici se subtrahant; ne
forsitan sua praesentia in sententiam san-
guinis influere videantur.

54. Plerumque viget et hodie usus, quod Notarii, Graphiarii, Testes, et Actores (siquidem nonnisi ad civilem persecutionem admittuntur) ab irregularitate excusentur, et si processus criminalis dictante justitia subsequatur. Quippe nulli horum fundere sanguinem, vel effusionis esse causae censentur.

55. Solus Pontifex in hac irregularitate alias dispensat, qui committit simpliciter Ordinario, ut cum Oratore dispenset, si preces veritate nitantur: dummodo *Orator reperiatur idoneus, vitaeque, ac morum probitas, aliaque merita sibi suffragentur, nec aliud obstat canonicum impedimentum, et quod de caetero a similibus abstineat.*

Cap. 5.
De Irreg.
ex defect.
corp.

Can. A-
post. c. 76.

c. 77. ibi.

56. Exulat in Oriente irregularitas ex defectu corporis. Ait Canon Apostolorum: *Siquis vel oculo orbatus, vel femore oblaesus, Episcopatu autem alias dignus sit: fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed animae inquinatio.*

57. Quid ergo de muto, surdo, caeco? an nec haec vitia corporis obstant? Subjungit Canon Apostolorum: *Qui vero mutus, surdusve, et caecus est, Episcopus non efficiter: non quia oblaeso corpore est, sed ne impediantur munia ecclesiastica.*

58. Vigilavit severior censura in eos qui sponte suo corpori vitium fecissent.

Juxta Canones Apostolorum, *siquis abscedit semetipsum (id est, sicut vel per simplicitatem, vel per superstitionem, amputavit sibi virilia) non fiat Clericus, quia sui est homicida, et Dei conditionis inimicus.* Refert. c. 4. D. 55.

59. Ex Decreto Innocentii I. *Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscedit, hunc ad Clerum Canones non admittunt. Cui vero casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, hos Canones peraecipiunt et Clericos fieri, et, si in Clero fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas est judicata, quae sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis vero causis veniam meruit.* Superefst. c. 6. ibi.

60. In Decreto Gratiani nonnulli alii Canones recitantur, qui (forte praejudicio veteris legis Mosaicae) aliquando extensiorem irregularitatem ex vitiis corporis generatiam explicant. Ita Hilarius, et Gelasius inter irregulares recensent corpore vitiatos, aut aliqua membrorum damna perpeccos. c. 1. et 3. D. 55.

61. Novo jure causa irregularitatis ex vitio corporis restrictior appareat. Rescripsit Alexander III. Episcopum posse Presbytero, qui per suam culpam digiti partem amisit, peracta poenitentia gratiam facere, ut in suo Ordine ministret, si tantum de digito non perdiderat, quin

sine scandalo possit solemniter celebrare. c. i. de Corp. Vit.

62. Honorius III. excusavit Monachum ab omni censura, cui ferrea barra ungulam a pollice avulsit, si membro superesset virtus ad frangendam hostiam sufficiens, et ei aliud canonicum non obsisteret. c. 7. ibi.

63. Reliquis novi juris argumentis explicatur inde irregularitas ex vitio corporis, si quis vel sponte sibi damnum fecisset, vel vitium executionem Ordinis impediret, vel deformitatem usque ad scandalum, et horrorem aspicientium, praeferebat. c. 2. et passim. d. t.

64. Si in Curia Romana petitur dispensatio vitii, ea per Datariam dirigitur ad ipsum Episcopum, etiam pro causa Regularium, ut inspecto per seipsum, et considerato diligenter defectu, si talis non sit, nec ex eo proveniat tanta deformitas, quae scandalum generet in populo, aut divinis impedimentum praefest, super quo ejusdem Ordinarii conscientia oneratur, cum eodem Oratore, dummodo ad id reperiatur idoneus, vitaeque, ac morum probitas, et virtutum merita sibi suffragentur, nec aliunde ei obstet impedimentum, dispensem.

65. Juxta jus commune Episcopi est, defectum corporis explorare, an talis sit, ut vel scandalum generet in popu-

lo vel sacrī functionībus obeundis im-
pedimentū praeſtet. Enīm vero quis-
que aliū defectus novo jure non parit
irregularitatē, niſi vel executionē
Ordīnes omnino impedit, aut ſcanda-
lum generet in populo c. 2. de Corp.
Vit.

66. In Decreto Gratiani et aliis exem-
plis vetus Episcoporum auctoritas ex-
plicatur. Praecipitur alicubi, ut hi, qui
aliquando corporis incommoditatibus in
terram elisi fuerint, tamdiu ab officiis
ſui ordīne, et loco ſint ſuſpenſi, quoſ-
que — — per discretionem Episcopi
inveniantur ab incursu liberati, ſeu
alieni. c. 2. D. 33. c. 2. VII. q. 2.

67. Hodie, ſi dispensatio petitur ſu-
per defectu oculi canonici, ne ipſe pa-
tiens legendo Canonem, vertat ſe ad
populum, volens oculum dextrum ver-
ſus Canonem dirigere, additur in for-
mula reſcripti haec clauſula: *Et quoties
Miffam celebrabit, tabellam Canonis
in medio altari tenere debent.*

68. Inter irregularitatēs praecipue re-
cenſet S: Apoſtolus illam ex criminē.
Ait alicubi diſerte: *Et hi probentur
primum, et ſic miniftrant nullum crimen
habentes.* Et alibi: *Oportet Episcopum
ſine criminē eſſe, ſicut Dei diſpensato-
rem.*

69. Juxta S. Hieronymum: *Non eo*
tantum tempore, quo ordinandus eſt,

Cap. 6.
De Irreg.
ex crim.
I. Tim. 3.

S. Hieron.
in cit. loc.

sine ullo crimine sit, et praeteritas culpas nova conversione diluerit; sed ex eo tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati conscientia mordeatur.

Siric. ep.
I. c. 14.

70. Quid disertius Decreto Syricii? *Illud quoque par fuit nos providere, ut sicut cuiquam poenitentiam agere non conceditur Clericorum, ita et post poenitentiam, et reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipisci: quia, quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint vasa vitiorum.*

71. Supereft rescriptum S. Gregorii eo tenore: *Pervenit ad nos, quosdam de sacris Ordinibus lapsos, vel post poenitentiam, vel ante, ad ministerium sui officium revocari. Quod omnino prohibemus, et in hac re sacratissimi Canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro Ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ultius non accedat.* Refert. c. 9. 10.
II. D. 50.

72. Haec igitur vetus disciplina stetit, quod post Baptismum admisso vel clam, vel palam criminis irregularitas tum ad Ordinum susceptionem, tum ad susceptorum suspensionem tam irremisibiliter

inhaereret, ut nec peracta poenitentia posset aboleri. Inquit Martinus I.: *Si post ordinationem suam quisquam in lapsum inciderit, et praevaricationis peccato fuerit deprehensus obnoxius, omnimodo prohibendum est, eum manibus lutulentis, atque pollutis Mysteria nostrae salutis tractare.* Superest c. 12. D. 50.

73. Labentibus saeculis invaluit disciplina, vi cuius peracta condigna poenitentia irregularitas criminis abolebatur. Inquit Calixtus in epistola ipsi attributa: *Erant, qui putant, Sacerdotes Domini post lapsum, si condignam egerint poenitentiam, Domino ministrare non posse, et suis honoribus frui, si bonam deinceps vitam duxerint, et suum Sacerdotium condigne custodierint.* Refert. c. 14. §. 3. D. 50.

74. Gratianus sinceras, spuriisque auctoritates decreto suo inspergit, quas conciliare sibi visus est, quod inter crimina publica, et occulta censeret distingendum: *Possunt, inquit, praemissae auctoritates aliter distinqui. Quorum enim crima manifesta sunt, ante, vel post ordinationem a sacris Ordinibus dejiciendi sunt; quorum auctoritatem peccata occulta sunt, et satisfactione secreta secundum sacerdotis edictum purgata, in propriis Or-*

dinibus remanere possunt. Gratian. ad c. 32. D. 50.

75. Enimvero jam saeculo IX. hujus distinctionis vestigia ex Decreto Nicolai, et Rhabani reluent. Ait Rhabanus: *De his vero visum est nobis scribendum, qui, sacros Ordines habentes, ante, vel post ordinationem esse in capitalibus criminibus contaminatos confitentur. In quibus, ut mihi videtur, haec distantia esse debet, ut hi, qui deprehensi, vel capti fuerunt publice in perjurio, furto, fornicatione, et caeteris hujusmodi criminibus, secundum Canonum sacrorum Instituta a proprio gradu decidant, quia scandalum est populo Dei, tales personas super se positas habere, quas ultra modum vitiosas esse constat.* Ref. c. 34. *ibi.*

76 In reliquis placuit et hanc differentiam ita moderari, ut pro criminibus occultis Clerici graviore, et prolixiore poenitentia defungerentur: *Si se per jejunia, et eleemosynas, vigiliasque et orationes sacras purgare certaverint.* En justam conditionem, vel cautelam. *ibi in fin.*

77. Novo jure irregularitas criminis supereft delictis publicis, quia non tam causa, quam infamia criminis dignitati clericali obesse censebatur. Rescrispsit Alexander III., Clericum, si crimea

occultum est, acta condigna poenitentia ad altiores Ordines promoveri posse.
c. 4. *de temp. ordin.*

78. Reliquis novi juris argumentis veterem rigorem pro enormioribus non nullis delictis v. g. homicidio, simonia, haeresi restituere placuit, etsi occulta essent. Rescripsit Urbanus II.: *Siquem vero, quod absit, aut post acceptum officium contigerit, peremptorio quodam eorum, quae in lege morte multantur, sive palam, sive clam occupatum criminis inveniri, eos maxime, qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos altaris ministerio sequestramus.*

79. Concilium Tridentinum inde declarat, quod liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

80. Quum ergo novo jure irregularitas criminis ad infamiam publicam recedit, haud interest, an infamia juris, aut facti sit; utrinque enim grave scandalum supereft. Juxta Decretum Greg. IX. accusati de criminis (nisi prius se probaverint innocentes) a susceptione Ordinum repelluntur. c. 56. *de test.*

81. Vetat et Concilium Tridentinum, ab Episcopo dispensari in irregularitati-

bus ex delicto occulto provenientibus, si ad forum contentiosum deductum fuerit. Pendente ergo accusatione ab Episcopo dispensari haud potest. Quid vero? an dispensare potest, si accusatus absolutus est defectu probationum? Affirmant, quia manet occultum; et quia non fuit deductum ad forum contentiosum *cum effectu*, ex quo non fuit probatum.

82. Alibi declarat S. Synodus, satis a mente Ecclesiae alienum esse, quod criminosi, licet occulti, seu illi, qui ut tales judicialiter convinci nequeunt, Trid. sess. 14. c. I. in sacras Ordinationes irrepant. Hac occasione edictum est, *ei, cui ascensus ad sacros Ordines a suo Praelato, ex quacunque causa etiam ob occultum crimen quomodlibet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus — nulla contra ipsum Praelati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo — suffragetur.* Vigore hujus Decreti Episcopo attribuitur plena auctoritas prohibendi suis subditis accessum, vel ascensum ad SS. Ordines quomodlibet, etiam ob occultum crimen, extrajudicialiter ex quacunque causa. Unde ex sententia S. Congregationis corrigitur dispositio novi juris, quatenus decernit, occultum criminosum nonnisi commoneri, sed non absolute prohiberi pos-

se ab ascensu ad sacros Ordines, juxta
c. 4. de temp. *Ordin.*

83. Invaluit in stylo Curiae, quod, si Episcopus aliquem ordinare recuset, hic possit querelam de hac recusatione ad Pontificem instituere, ut demandetur Metropolitae, vel viciniori Episcopo rationem recusationis explorare: illo vero causam legitimam non allegante Metropolita, vel vicinior Episcopus eundem recusatum ordinare possit. Vix tamen haec praxis consentit Decreto Tridentino, quod diserte statuit, *ut nulla ei licentia de se promoveri faciendo contra ipsius Praelati voluntatem suffragetur.*

84. Subdit S. Synodus: *aut qui a suis Ordinibus seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Praelati voluntatem concessa — ad priores Ordines, gradus, dignitates, sive honores restitutio suffragetur.* Et quare sacra Synodus ab hac periodo illas voculas: *quacunque ex causa, etiam ob occultum crimen, quomodlibet, etiam extrajudicialiter: avellit?* Scilicet in hoc casu procedendum est secundum Canones, quia suspensio ab Ordinibus suscep-tis, dignitatibusque adeptis quaedam censura est, quae ex quacunque causa, etiam in crimen occultum non cadit, nisi judicialiter fuerit probatum.

Cap. 7.
De Irreg.
ex ho-
mici.

85. Ex genere criminum supereft ho-
micium voluntarium, cui vetus rigor
censurae imminet. Jure divino veteris
legis statutum est: *Siquis per induſtri-
am occiderit proximum suum, et per
infidios: ab altari — evelles eum.* Ref.
c. I. de homic.

S. Basili.
Epist. 3.
c. 56.

86. Juxta S. Basilium: *Qui sua spon-
te interfecit, et postea Poenitentia du-
ctus est, viginti annis Sacramento
non communicabit. Viginti autem an-
ni in eo sic dispensabuntur. Debet qua-
tuor annis deflere, stans extra fores
Oratorii, et fideles ingredientes ro-
gans, ut pro eo precentur, suam ini-
quitatem pronuntians. Post quatuor
autem annos inter audientes recipie-
tur, et quinque annis cum eis, qui
in substratione orant, egredietur. In
quatuor annis solum stabit cum fide-
libus, sed non erit oblationis parti-
ceps. Is autem expletis, erit Sacra-
mentorum particeps.*

c. 57.

87. Et mox: *Qui non voluntarie
interfecit, undecim annis Sacra-
mentis non communicabit. Undecim autem
anni in eo sic dispensabuntur. Duos
quidem annos deflebit. Tres autem an-
nos inter Auditores perseverabit; in
quatuor substratus, et anno solum
consistet, et deinceps ad Sacra-
menta admittetur. En poenitentiam culpabi-
lis homicidii.*

88. Sed an causa defensionis excusat? Qui, inquit, se latronibus adversos objiciunt, si sunt quidem extra Ecclesiam, ab omni communione arcentur: si sint autem Clerici, a gradu deponantur.

89. Rescripsit Nicolaus I.: *De his Clericis*, — scilicet, qui se defendendo, paganum occiderunt, si postea per poenitentiam emendati, possint ad gradum pristinum redire, aut ad altiorem condescendere: scito, nos nullam causam dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Verum, si contigerit, ut Clericus sacerdotalis Ordinis saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab officio sacerdotali recesserit. Refert. c. 6. D. 50.

90. En S. Augustini generalem regulam! Exceptis iis, inquit, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons iustitiae Deus specialiter occidi jubet, hominem, vel seipsum, vel quemlibet quisquis occiderit, homicidii criminis innectitur. Et alibi: *De occidendis hominibus*, ne ab eis quisque occidatur, non mihi placet consilium: nisi forte sit miles, aut publica functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed pro aliis, vel pro civitate, ubi etiam ipse est accepta legitima potestate, si ejus congruit personae.

S. August.
de civit.
Dei, L. I.
c. 21.

Ep. 47.

91. Novo jure Clemens V. primus est, qui diserte ab irregularitate excusavit Clericum, si pro defensione VITAE PROPRIAЕ invasorem occidisset. Nullam, ait, *ex hoc irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.* Supereft Clem. un. de homicid.

92. Absit vero, ut hoc exemplo excusatus censeatur, qui pro defensione famae, patriae, aut et alienae vitae quemquam peremerit. Inquit Honorius III.: *Mandamus — a ministerio altaris abstineas reverenter.* Refert. c. 24. de Homicid.

93. Reliquis novi juris exemplis nec homicidium casuale censura vacat, si actio rei illicitae ei causam praebuit, quia inde indirecte culpabile, et voluntarium in causa censetur; scilicet, si ex actione, quae ob periculum caedis, aut mutilationis illicita est, et vetita, occidit. Bonifacius VIII. irregulararem declaravit et eum, qui quemquam verbari mandavit, licet expresse inhibueri, ne ulla tenus occidatur, aut mutiletur, si mandatarius fines mandati excedens caedem fecerit: *Cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse cogitare debuerit.* Refert. c. 3. de homic. in 6.

94. Inter haec, et alia novi juris exempla commendatur regula, in dubio

tutiorem partem esse eligendam; ut-pote si dubium sit, num quis reus fu-erit homicidii, aut mutilationis, debet se pro irregulari gerere, ut talis ab ex-ectione SS. Ordinum abstenturus. c. 12. de homic. c. 5. de Cler. Excomm. mi-nist.

95. Decernit Concilium Tridentinum: Trid. sess.
14. c. 7.
Qui sua voluntate, per industriam, in-fidias, et ex proposito, homicidium per-petraverit, etiam si crimen id, nec or-dine judiciario probatum, nec alia ra-tione publicum fuerit, nullo tempore ad sacros Ordines promoveri possit; nec illi aliqua beneficia ecclesiastica; etiam si curam non habeant animarum, conferri liceat: sed omni Ordine, ac beneficio, et officio ecclesiastico per-pe-tuo careat. Spectat hoc Decretum ho-micidium dolosum, et directum. Si ve-ro ut quis se a morte defendereret, fuisse commissum per culpam, et excessum moderaminis, narretur; quam ob cau-sam etiam ad SS. Ordinum, et altaris ministerium, et beneficia quaecunque, ac dignitates jure quodammodo dispen-satio debeatur, committatur loci Or-dinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui, non nisi causa cognita, et probatis precibus, ac narratis, nec aliter dispensare pos-fit.

96. Reservatur ergo dispensatio hujus irregularitatis ex homicidio culpabili, aut casuali summo Pontifici, si publicum fuerit; si enim homicidium hujus generis occultum fuerit, Episcopus proprio jure dispensare potest, quia juxta Decretum Tridentinum ejus est dispensare in omnibus irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus, sola illa excepta, quae oritur ex homicidio *Voluntario*; utpote per industriam, infidias, et ex proposito directo.

Trid. sess.
24. cap. 6.

97. Si petatur a Papa dispensatio super homicidio, quoad Ordines suscepitos, aut beneficia de facto obtenta, solet supplica juxta stylum Curiae remitti ad Congregationem super interpretatione Concilii, ubi ipsae supplicationes proponuntur, discutiuntur, et plene examinantur, ut inde discernatur, an gratia sit concedenda, vel deneganda? Quodsi videatur concedenda, remittitur ad Datariam, apposita ad calcem formula: *Videtur concedenda, si sanctissimo videbitur.* Annuente Papa commissio dirigitur ad Ordinarium, qua ei potestas fit cum Oratore dispensandi, eumque ad Ordines promovendi, vel in suscepitis rehabilitandi juxta tenorem commissionis. Delegationis formulae solet apponi clausula: *Si narrata vera deprehenderit, Oratorem, imposta ei aliqua poenitentia salutari, et attenta*

*ta pace (utpote compositione justa facta
inter homicidam, et haeredes defuncti)
ut praefertur, habita, absolvat, se-
cumque, dummodo ad id reperiatur ido-
neus, vitaeque, ac morum probitas,
ac alia virtutum merita, sibi alias suf-
fragentur, nec aliud canonicum sibi
obstat, ad beneficia, et Ordines (pro-
ut exprimitur) dispenset pro suo arbi-
trio.*

Supr.

98. Quoad dispensationem irregulari-
tatis, quae ex haeresi provenit, ait
Concilium: *Idem et in haeresis crimi-
ne in foro conscientiae eis tantum (id
est, Episcopis) non eorum Vicariis sit
permisum dispensare. Moribus tamen
nostris alicubi invaluit, quod non modo
Vicarii generales, Poenitentiariiique,
sed et Presbyteri, quos delegant Vica-
rii, absolvant ab haeresi.*

* 99. Caeterum quid verius, quam
Sacerdotes malos esse ruinam populi?
Dilerte scriptum est: *Laqueus ruinae
populi mei; Sacerdotes mali. Juxtaef-
fatum Concilii Parisi. VI. Quando vita
Sacerdotum cum doctrina non concor-
dat, et auditoribus infirmis scanda-
lum, et animarum provenire pericu-
lum non est dubium. Concilium Aquis-
granense II. Ann. 863. ad Pipinum Re-
gem haec perorat: Saepe accidisse legi-
mus, culpam Sacerdotum extitisse rui-
nam populi — sicut aperte liquet, cul-*

Ezech.
44.
Conc.
Parisi. VI.
c. 4.

Conc.
Aquisgr.
lib. 2. c. 8.

pam Heli, filiorumque ejus populi extitisse ruinam. En querelam S. Augustini: *Mali illi, inquit, Pastores non parcunt talibus, nempe ovibus crassis, et sanis. Parum est, quod illas lanquentes, et infirmas, et errantes, et perditas non curant: etiam illas fortes, et pinques necant, quantum in ipsis est.* Illae vivunt de misericordia Dei; tamen, quantum ad malos Pastores attinet, occidunt. Quomodo, inquis, occidunt? male vivendo, malum exemplum praebendo. Ait B. Gregorius: *Nemo quippe in Ecclesia amplius nocet, quam qui perverse agens nomen, vel Ordinis sanctitatem habet — Per prava, quae faciunt, non soli moriuntur, sed aliarum animarum, quas pravis exemplis destruxerant; rei sunt.* Quid sententia S. Bernardi funestius? *Pauci, inquit, plane Operarii, et admodum rari inconfusibles, qui aspicientes in auctorem fidei, et Consummatorem Jesum, quos instruunt verbo S. praedicationis, non destruant exemplo pravae operationis.*

S. Greg.
 Past. P. I.
 c. 2.

S. Bern.
 ad Past.

S. August.
 ferm. 165.
 de temp.

TITVLVS XI.

De Seminariis Clericorum

CAPVT I.

De Origine, et Fine Seminariorum.

1. Recentioribus saeculis placuit Seminaria instituere, vel restituere, ut Clerici ad pietatem, religionem, ecclesiasticam disciplinam, bonos mores, et litteras erudiantur. Inquit Anno 1583. Concilium Aquense: *Quam utilis fit Seminarii institutio, ac ad Cleri disciplinam in singulis Ecclesias propagandam; animarumque salutem procurandam necessaria, ex eo intelligi potest, quod hujus rei salutaris ratio, aliquando intermissa, damna, et detrimenta non mediocria Ecclesiae Dei, per exempla malorum Sacerdotum attulit.*

Conc.
Aquens.
de Semin.

2. S. Augustinus olim praecipuum exemplum praebuit extruendi Collegia, et Monasteria Clericorum, ex quibus, ceu quodam Seminario ad varias Ecclesias viros doctos, et exercitatos emittebat, ut tum sanctis moribus, tum sanis doctrinis, et praedicationibus salutem animarum obirent.

Possid. in
vit. S.
August.
c. II.

3. Hoc auspicio, ait Synodus Toletana IV., *constituendum oportuit, ut si qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi*

atrii commorentur: — — deputati probatissimo Seniori, quem Magistrum doctrinae, et testem vitae habeant. Ref. c. i. XII. q. i.

Conc. Pa-
ris. III.
lib. I.
c. 30.

4. Quid disertius Decreto Concilii Parisiensis III.? *Inter nos, inquit, pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in scholis habendis, et ad utilitatem Ecclesiae militibus Christi praeparandis, et educandis abhinc majus studium adhiceret etc.*

Trid. sess. 23. c. 18. *ut singulae Cathedrales, Metropolitanae, atque his maiores Ecclesiae, pro modo facultatum, et Diaecesis amplitudine certum puerorum, ipsius Civitatis, et Diaecesis, vel ejus Provinciae, si ibi non reperiantur, numerum in collegio, ad hoc prope ipsas, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur — — ita, ut hoc Collegium Dei Ministrorum perpetuum Seminarium sit.*

Conc. Ro-
thom. cap.
fin.

6. Ecce tam salubris Decreti scopum? Juxta Concilii Rothomagensis Anno 1581. Decretum Seminariorum fundatio eo tendit, ut Clerici ad pietatem, religionem, ecclesiasticam disciplinam, bonos mores, et litteras erudiantur.

7. In eo genere nihil uberior est institutionibus, et instructionibus S. Caroli. Sunt igitur, inquit, potissimum ea de causa Seminaria erecta, ut in iis boni, strenuique Operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christo redemit, bonis moribus, et scientiis instituantur etc. Ac sicut probitatis major est necessitas, quam doctrinae, sic illis in eo studio magis est elaborandum; cum praesertim acquisitione virtutum in uniuscujusque assiduitate, et industria potius, quam in Rectorum, aut Praeceptorum diligentia sit posita; ita ut, nisi quis laborem adhibeat, non multum, aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

S. Carol.
de Instit.
Semin.
P. 3. c. 1.

8. Hinc ad partes Confessarii pro Seminario revocat, ut, ad conciliandam probitatem vitae studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriae voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inserere; internascentia opimorum beneficiorum, vel divitiarum desideria salutaribus monitionibus extinguat; quoslibet iisdem de rebus sermones prohibeat; solam denique illis Dei gloriam, et animarum salutem procurandam esse doceat, et expetendam.

9. Juxta Decretum Tridentinum in hoc collegio recipiantur, qui ad mi-

Cap. 2.
Qui in
Semin.
recip:

nimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere competenter noverint, et quorum indoles, et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios praecipue eligi vult S. Synodus; nec tamen ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium praeferant, Deo, et Ecclesiae inserviendi.

Trid.
supr.

S. Carol.

supr. P. 1.

¶ 9.

10. Praecipit S. Carolus, maximam cautionem in eo adhibendam esse, ut idonei Clerici in Seminarium recipiantur; neque solum ingenium, et habilitas ad studia litterarum, functionesque ecclesiasticas exercendas spectetur, sed multo magis morum, ac disciplinae in singulis ratio habeatur. Quales enim illi fuerint, qui admittentur, tales prorsus e Seminario fructus existent.

11. S. Synodus reliquam curam Seminarii erigendi Episcoporum arbitrio reliquit, ut tum ea, quae instructionem juventutis spectant, tum illa, quae ad morum disciplinam facere possunt, definiant. Quae omnia, inquit, atque alia, ad hanc rem opportuna, et necessaria Statuta, Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum, et graviorum, quos elegerint, prout Spiritus S. suggererit, constituent; eaque,

ut semper obseruentur, saepius visitando operam dabunt.

12. Haec visitatio spectat Seminarii tam quoad temporalia, quam quoad spiritualia perfectam notitiam; ac praecipue ipsorum alumnorum mores, et profectum tum in scientia, tum in pietate. Ait S. Carolus: inter haec certior fiat Episcopus a Rectori Seminarii de disciplina, et moribus cuiusque, ac singulos separatis alloquatur; *quae sit eorum mens, quis sensus, quam in vocazione stabilis inquirat, ac siquid aliud praeterea scire voluerit.*

13. Rectoris est, divinae imprimis gloriae amplificationem spectare, Clericorumque subditorum in omni virtutum genere perfectionem procurare. *Studeat, inquit S. Carolus, ut, quae ad spiritualem progressum spectant, recte, atque ordine administrentur; ut quotidianae, aut alias statae exercitationes, nisi necessaria de causa, non intermittentur.*

14. In Seminario S. Caroli comparent superiorum, inferiorumque scientiarum Professores. Nostris moribus passim receptum est, quod et alumni publicas scholas frequentent, nisi quod in Seminario cultiorem Theologiam, aliasque sanctiores scientias addiscere, vel repetere teneantur. Est ergo Episcoporum Professores pietate, eruditione ac

S. Carol.
supr. c. 8.

zelo animarum praestantes suis Seminariis praeficere, si ex suis alumnis Pastores illis qualitatibus instructos educare velint.

15. Nonnullarum Ecclesiarum statuta provident, ut singuli Studiosorum in sua ad dictum Seminarium assumptione juratam fidem dent, quod, si idonei fuerint, id munera in Ecclesia Dei suscipiant, quod eis Episcopus injungendum censuerit; alioquin refusuri sumptus, quos fecerint Seminario, pro quod dare fidejussores tenentur, obliganturque spondere, quod in communem ejusdem Seminarii utilitatem aliquid liberaliter elargituri sint, si ad pinquiores fortunam pervenerint.

Cap. 3.
De fund.
pro Erect.
Semin.

16. Ut autem tam salubris instituti erigendi, vel restituendi media in promptu essent Episcopis, S. Synodus eis consuluit, ut, si qui supereffent ad id genus propositi fundi, eos praeprimis eo applicarent. *Ea, quae ad instituendos, vel alendos pueros in aliquibus Ecclesiis, et locis destinata sunt, eo ipso Seminario applicata censeantur.*

17. Si hi deessent, aut non sufficerent, suggesterit S. Synodus, ut *idem Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter a Capitulo eligatur; itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcoporum, al-*

terius vero ad Clerum pertineat, ex fructibus integris mensae Episcopalis, et Capituli, quarumcunque Dignatum, Personatum, officiorum, Praebendarum, portionum, Abbatiarum, et Prioratum, cujuscunque Ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, et Hospitalium, quae dantur in titulum, vel administrationem — et beneficiorum quorumcunque, etiam Regularium, etiam si juris Patronatus cujuscunque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius diaecesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, et Hospitalibus et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis annexa, et ex fabricis Ecclesiarum, et aliorum locorum, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis redditibus, seu proventibus etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen Seminaria discentium, vel docentium ad commune Ecclesiae bonum promovendum actu non habentur: haec enim exempta esse voluit, praeterquam ratione reddituum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum Seminariorum sustentationem, seu Corporum, Confraternitatum, quae in nonnullis locis Scholae appellantur, et omnium Monasteriorum non tamen Mendicantium, etiam ex Decimis, quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cujuscunque militiae, aut Ordinis pertinentibus, Fratribus S. Joan-

*nisi Hierosolymitani duntaxat exceptis,
partem aliquam, vel portionem ad ma-
fam Seminarii detrahent.*

18. Hoc medio promptius est illud per unionem beneficiorum simplicium, cuius-
cunque qualitatis, et dignitatis fuerint,
vel etiam praestimonia, et praestimonia-
les portiones. Atque hanc unionem fieri
concedit S. Synodus etiam ante vacatio-
nem, *sine cultus divinitatem, et illa obti-
nentium praejudicio*: etiam si sint vel re-
servata, vel affecta. Neque hanc unionem
impedire potest vel resignatio ipsorum
beneficiorum, vel alius quisquam modus,
vel rescriptum Curiae. Si tamen beneficia
illa sint juris Patronatus laici, pro unione
consensus Patronorum exquirendus est.

19. Inquit S. Synodus: *Ut, si vel pro
unionibus, seu proportionum taxatio-
ne, vel assignatione, vel in corpora-
tione, aut alia qualibet ratione ali-
quam difficultatem oriri contigerit,
ob quam hujus Seminarii institutio,
vel conservatio impediretur aut per-
turbaretur; Episcopus cum supra de-
putatis, vel Synodus Provincialis pro
regionis more, pro Ecclesiarum, et bene-
ficiarum qualitate, etiam supra scrip-
ta, si opus fuerit moderando, aut re-
gendo, augendo, omnia et singula, quae
ad felicem hujus Seminarii profectum
necessaria, et opportuna videbuntur,
decernere, ac providere valeat.*

20. Supereft, quod Episcopi pro feliciori operis executione regias litteras implorare, impetrareque soleant, quibus et ipsa constructio Seminarii probetur, et exortae difficultates supprimantur, et proposita media in effectum deducantur. Atque harum litterarum plura exemplaria exhibentur in actis Cleri Gallicani.

Aet. Cler.
Gall.
Tom. I.
Tit. I.
c. 5.

21. Patres Concilii Parisiensis de Anno 829. Ludovico Pio humiles preces fecerant, ut regias litteras ederet pro erectione quarundam Scholarum publicarum. *Similiter, inquit, etiam obnixe, ac suppliciter vestrae Celsitudini suggestimus, ut, morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperii vestri locis Scholae publicae ex vestra auctoritate fiant, ut labor Patris vestri, ac vester per injuriam, (aut incuriam) quod absit, labefactando non depereat: quoniam ex hoc facto magna utilitas, et honor S. Dei Ecclesiae, et vobis magnum meritis emolumentum, et memoria sempiterna accrescat.*

Cap. 4.
De Coll.
Acad.

22. Hoc exemplo exortae sunt Universitates, et Academiae, ad quas velut ad studiorum, et scientiarum emporia undique concursum est, in quibus juxta Morinum doctrina Christiana perfectius, diligentius, et splendidius, quam in Collegiis, et Seminariis tradita est.

Morin. de
ss. Ord.
P. 3. E-
xerc. 13.
e. u.

23. Ut autem non tantum scientia, sed et optimis moribus, et disciplinis juventus academica instrueretur, hac occasione et has urbes peculiaribus Collegiis, et Seminariis exornare, ditareque placuit, ut cultiori scientiarum ecclesiasticarum profectui, et sanctiori morum disciplinae quidam locus veluti refugii superesset, quia eos, qui divinae vocationis spem ad statum ecclesiasticum faciunt, inde a vulgari colluvie Scholarium, conversatione, et reliqua familiaritate separare oportebat.

24. Fundatores horum Collegiorum p^{re}aeprimis consultum pauperibus volere, spe concepta, quod hi, desperatis propriis, vel paternis facultatibus, se se obsequiosiores ad leges illas Collegiorum, et Seminiorum essent exhibitori, ni periclitari velint, illis subsidiis vitae, et vi^ctus per suum vitium excidere.

25. Praeest singulis his Collegiis quidam Praefectus, seu Regens, ut alumnorum illorum conversationi, et correctioni invigilet. Enimvero recta Seminiorum institutio maxime a provida Rectoris, aliorumque Ministrorum, quibus eorum regimen est commissum, cura habetur. Si discretus, prudens, doctus, piusque Praeses, qui Statutorum executionem verbo, et exemplo urge-

at, et persuadeat, fuerit, quis de profectu alumnorum dubitare vellet?

26. Praefidis hujus primum officium est, eorum, qui suscipi postulant, capacitatem, et mores explorare. Oportet eum esse sollicitum, ut sine ulla personarum acceptione, quantum leges fundationis fuerunt, magis merentibus, utpote de quibus propior spes affulget, quod strenui Ecclesiae Operarii evadant, illa stipendia distribuantur.

27. Admissi ad Collegium per dies aliquot in locum, exercitiis spiritualibus destinatum, se recipere jubentur; ut de vitae clericalis ratione, studioque rite instituendo deliberent, et per sanctas meditationes se praeparent. Idipsum statuit et S. Carolus, si transacto vacationum tempore reversi in Seminarium, studium auspicentur; aut si sacris ordinibus suscipiendus locus est.

28. Quotidiana per annum tum studiorum, tum pietatis exercitia hoc fere ordine instituuntur. Mane ad medium horae quintae excitantur, et ad horam quintam omnes in facillum Collegii conveniunt, per semi - horam meditationi, et orationi vacaturi. Hanc immediate subsequitur Sacrum, cui omnes assistunt. Hoc finito retrahunt se singuli in sua cubicula, ibique studiis incumbunt, quo usque tempus lectionum publicarum, aliave exercitia scholastica alio vocent.

Diebus autem sabbatinis, finito Sacro, a Praeside brevis habetur exhortatio de iis, quae praecipue Clericis, et Theologis convenient; utpote, ut praeprimis illis necessitas, utilitasque Orationis commendetur; nec non, ut ex eorum animis omnis beneficiorum cupiditas elevatur, quia inordinatum, ac turpe est, quod in militia Christi saeculi lucra quaerantur.

29. Ad medium post undecimam rursus ad facellum convenitur, ibique per quadrantem meditationi vocatur: quafinita ad mensam acceditur, et sub initium prandii aliquid e sacra Scriptura paelegitur. A sumpto prandio recreationi tempus datur usque ad horam secundam, quando ad publicas rursus lectiones, aut studia se retrahere debent. Media ante septimam iterum ad facellum usque ad horam septimam convenient, meditationi, et recollectioni vacantes, Diebus sabbatinis cantantur Laudes, quarum initium fit a Litaniis Laurentianis B. Virginis. Hora septima ad mensam coenaturi accedunt; post coenam vacatur usque ad medium nonam; hora vero nona liberum est, cubitum concedere.

30. Praeter lectiones, et exercitationes publicas, habentur in his Collegiis hebdomadatim tres Lectiones domesticae; nimirum feria secunda, quarta,

et sexta, praeter disputationes, quas antiquo vocabulo Sabbatinale dicimus, quae feria quinta instituuntur.

31. Diebus dominicis, et festivis, praeter jam dicta pietatis exercitia, habetur hora octava matutina concio per unum Baccalaureum, cui Praeses semper assistit, sedulo in defectus advertens, quos mox finita concione concionanti corrigendos exponit. Concione sequitur solemne Sacrum. Post meridiem hora secunda decantantur vespere, et circa sextam Completorium, quo finito dicitur concio a quodam Juniorum, assistente Praefide, ut defectus observet, et corrigat.

32. Diebus solemnioribus totum officium, etiam Matutinale, solemniter decantatur, ipso Praefide officiante; omnesque non Sacerdotes S. Synaxi sub Sacro reficiuntur. Quin et diebus dominicis, festisque, semper plures sub Sacro communicare consueverunt, adeo, ut singulis saltem duabus, tribusve hebdomadis plerique ad SS. Communione accedant; plures etiam singulis octiduis etc. Quid his institutis salubrius, si cultus sanctorum scientiarum alicubi etiam effulgeat?

33. In restituendo cultu et inferiorum scientiarum, artiumque desudat et hodie nostra aetas. Jure novo supereft vetus institutum, ut quisque Presbyter, qui

Cap. 5.
De Schol.
Puer.

plebem regit, Clericum habeat, qui secum cantet Epistolam, et lectionem legat, et qui Scholas tenere possit; et monere suos Parochianos, ut filios suos ad discendam fidem mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate enutriat. Refert. c. 3. de Vit. et honest. Cler.

Theod.
Capit. ad
Paroch.

34. Eo aevo praecipit Theodulphus Episcopus Aurelianensis, ut Presbyteri per villas, et vicos scholas habeant, et, si quilibet fidelium suos parvulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, et gratis docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant.

Synod.
Cam. de
Schol,
cap. I.

35. Corruptis saeculis ignorantia passim praevaluit. Hac occasione recentiores Synodi passim decrevere, ut curent Episcopi, ut quamprimum scholae in urbibus, oppidis, pagis Diaecesum suarum, si collapsae fuerint, restituantur: si conservatae, colantur, et augeantur. Ita statuit Synodus Camerensis P. I.

Synod.
Mechl.
Tit. 20.
c. I.

36. Saepe saepius id genus curae, et officii per pagos, et vicos demandare Archipresbyteris placuit. Ait Synodus Mechliniensis P. II.: Agant Archipresbyteri cum Magistratibus; et Praefectis locorum, ut eae Scholae rurales mox erigantur, simulque rationem in eant, ipsis Ludimagistris de annis stipendiis.

pendiis, ut pauperes gratis doceantur,
providendi.

37. En Synodi Namurcensis de Ann. 1604. Decretum! Oportet hujusmodi stipendium Ludimagistro assignari: quo mediante, si fieri potest, gratis doceantur: sic enim fiet, ut a parentibus pueri lubentius ad scholas mittantur.

38. Juxta Decretum Synodi Came-
racensis P. 1. singularem locum dare o-
portet scholis Catecheticis, quales et
Dominicales dixerit. Quia autem, in-
quit, multos inopia prohibet, ne filios
in scholis litterariis enutriant, quo-
rum tamen salutis habenda est ratio,
cum sint et ipsi in corpore Christi, et
familia. Quamobrem diebus festis, et
maxime dominicis, expleto vespertino
officio, jubet S. Synodus, Ludimagi-
stros docere eadem rudimenta fidei, et
Catechismi pro captu, et ingenio ju-
ventutis, quae litteras non didicit,
nec non subinde per vices interrogare;
ut sciatur, an proficiat, atque huic nego-
tio tam in pagis, quam oppidis Pastores
incumbant, aut Sacellani, aut Clerici,
seu Matricularii. Parentes, si suos mit-
tere negligant, moneantur; moniti, nisi
pareant, Magistratui deferantur. Pasto-
res vero, aut Ludimagistri, si id con-
tempserint, ab Episcopo corrigantur:
et, quantum fieri potest, in scholis pueri-
libus puellae separentur a pueris.

Synod.
Nam.

Tit. 2.

cap. 1.

Synod.
Cam.
c. 2.

39. Exemplo harum Synodorum in nostris terris praेprimis regiae leges salubriorem ordinem, et frequentiorem usum utriusque scholae, utpote tam litterariae, quam Catecheticae resuscitarunt, ut instituenda juventuti tam in cultioribus litteris, quam in purioribus dogmatibus uberrimus locus superfit.

40. Caeterum spectat ad officium Pastorum, ut pro executione tam salubrium legum disciplinae, politiaeque graviter adlaborent, industrias, et integritatem Magistrorum excitando, discipulorum profectum scrutando, scholas visitando, ut sciatur, an juventus rite instituatur; quis sit puerorum in litteraria scientia, et scriptioris peritia profectus; an Magistri, Magistrae instruendae, erudienda eve juventuti sedulo se impendant; modum convenientem, prudentiamque in regenda juventute teneant; quos libros pueris praelegant, an praescriptos legendos tradant, aut legere permittant; an nulli praelegantur, aut permittantur, qui turpe, aut obscurum quid confineant, aut bonis moribus, aut fidei Catholicae adversum; an curent, ut libri legantur, qui pueris pietatem, ac morum honestatem instillent?

41. Quid disertius Decreto Synodi Cameracensis P. I.? In omnibus, inquit,

Parochiis sint, vita, integritate, scientia, moribus, et conversatione graves, qui doceant primam juventutem, maxime in his, quae numerosam plenam habent: Pastorque singulis mensibus, aut hebdomadis, et frequentius diligenter inquirat, quantum proficiat pueritia; idque maxime provideat, ut a teneris imbuatur timore, et amore Domini, ne corrumpatur ulla licentia, aut doctrina, quae nec religioni, nec bonis moribus correspondeat. Ne utiquam quemquam Sacerdotum pudeat tanta dimissionis: pigeat tantae molestiae, aut fastidiat ruditatem, aut poeniteat fatigationis, aut taedeat sollicitudinis.

* 42. Quid enim vigiles Pastores et in eo genere negotii certius manet, quam merces aeterna, et multa nimis?

Ait S. Apostolus: *Qui bene ministraverit, bonum gradum, ad vitam aeternam promerendam, sibi acquirit.* Ecce sententiam S. Augustini: *Accipiant, inquit, sustentationem necessitatis boni Pastores a populo, mercedem dispensationis a Domino.* Non enim est idoneus, populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate Evangelii serviunt. Juxta S. Bernardum: *Magnus enim vere eorum locus in regno Dei, et bonum sibi, sed qui bene ministraverint, gradum sibi acquirent.* In-

I. Ti-
moth. 3.

S. Aug.
ferm. 46.
in Ezech.
c. 34.

S. Bern.
Declam.
c. 11.

S. Greg. quit S. Gregorius: *Si magnae mercedis
Moral. lib. 19. in est, a morte eripere carnem, quan-
cap. 29. doque morituram; quanti est meriti,
B. Job. a morte animam per salubres instruc-
tiones, et institutiones, liberare in
cuelesti patria sine fine victuram?*

TITVLVS. XII.

De Sacramento Matrimonii.

CAPVT I.

De Sponsaliis.

1. *Satis vulgaris et apud veteres, et
apud superstites gentes usus viguit, vi-
getque, quod nuptiis Sponsalia praemit-
terentur. Ait Jurisconsultus: Sponsalia
dicta sunt a spondendo. Nam moris
fuit veteribus stipulari, ac spondere
sibi uxores futuras, Refert. L. 2. de
Spons.*

2. *Inde Sponsalia definiuntur, quod
sint mentio, et re promissio nuptiarum
futurarum. Tantum enim Sponsalia a
nuptiis differunt, quantum spes a re
ipsa distat. Quippe veteri jure alia Spon-
salia nota haud sunt, quam Sponsalia de
futuro. c. 3. XXX. q. 5.*

3. *Veteri more Christianis sat fre-
quens fuit, quod et Sponsalia publice
coram Sacerdote oporteret contrahere.
Supereft hic usus et hodie alicubi, ad*

solemnitatem tamen potius, quam ad necessitatem. In Rituale Romano nulla mentio fit de Sponsalibus in facie Ecclesiae, seu coram Sacerdote ineundis.

4. Recentiora Manualia, vel Ritualia, quae praecipiunt, Sponsalia coram Sacerdote celebrari, et locum, et testes designant. Hinc illae formulae commendantur: *Sponsalia non aliter, quam publice, nec alibi quam in Ecclesia, vel sacra Capella, aut loco publico, honestoque alio; minime vero in caupinis, aut post dissolutas compotationes fiant.* Hac occasione commendatur Parrocho, ut videat, num desponsandi sobrii sint, ac animo bene deliberato? an ad sint utriusque partis Parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus procedere temere non debet?

5. Si desponsandi diversarum Parochiarum sint, usus obtinuit, quod coram Parrocho Sponsae Sponsalia contrahere debeant, quia honestius esse existimatur, quod Sponsus Sponsam in sua Parochia quaerat. Parochus tamen Sponsae haud difficilem se praebere debet, ut id negotium suscipiendorum Sponsarium alteri Parrocho relinquat, si justae rationes hanc conniventiam videantur exigere.

6. Reliquum est hujus, vel alterius Parochi officium, ut ab utraque parte exploret: an Catholici sint, sufficienter-

ve rudimentis fidei instructi? an confirmati sint? an sciant, interesse aliquod impedimentum? His exploratis praecipitur Parochio, ut praescripta forma utriusque partis verum, et ferium de contrahendis Sponsalibus animum sibi edi postulet, ita, ut desponsandi ad omnia rice attenti reddantur. Inde ipse subjungit: *Et ego; tanquam Minister Ecclesiae ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto, et approbo.*

7. Juris novi argumentis Sponsalia simplici consensu utriusque partis perfici censentur, si modo de mutuo consensu satis exterius constet. Hinc et muti, et surdi Sponsalia legitime celebrare dicuntur, si signis consensum manifestaverint. *c. 23. de Sponsal.*

8. Ex sententia Modestini nobis superest regula, *quod a primordio aetatis Sponsalia effici possint, si modo id ab utraque parte fieri intelligatur; id est, si non sint minores septem annis.* Refert. *L. 14. de Spons.*

9. Quantum ad reliqua Sponsalia puberum, adultorumque praecipiunt pasim Synodorum Decreta, ut Parochi contrahentes admoneant, ut ad periculum incontinentiae, aliaque inconvenientia evitanda, ultra sex hebdomadas post factas proclamationes, si impe-

dimentum denuntiatum non fuerit, Matrimonium solemnisare non differant.

10. Caeterum hortatur S. Synodus Tridentina, ut, illo intervallo Sponsalium, *conjuges ante benedictionem sacerdotalem, in templo suscipiendam, utpote ante solemnisationem Matrimonii, in eadem domo non cohabitent; neve ita alter cum consorte converserunt, ut fornicationis periculum, suscipio, aut crimen intercedere possit.*

Trid. sess.
24. de Ref.
Matr. c. 1.

11. Ait Innocentius III.: *Praeterea hi, qui de Matrimonio contrahendo pure, et sine omni conditione fidem derunt, commonendi sunt, et modis omnibus inducendi, ut fidem praestitam observent. Sponsalia, veluti contractus B. F., mox ut mutuo consensu perfecta sunt, veram obligationem parriunt, ut tempore debito, quod promissum est, utrimque impleatur. c. 2. de Spons.*

Cap. 2.
De vin-
cul. dissol.
Spons.

12. Sed an et coacti locus est? Rescripsit Alexander III., quod, si is, qui jurejurando aliquam in uxorem ducere promisit, monitis sui Episcopi non acquieverit, ecclesiastica censura ad fidem implendam compellendus sit, *nisi rationabilis causa obstiterit.* Refert. c. 10. ibi.

13. Reliquis novi juris argumentis rationabilis illa causa censetur, si ex illa coactione provideatur grande periculum

acerbioris discordiae, odiique. Inquit Lucius III., quod cum libera debeant esse Matrimonia, monenda est potius pars refractaria, quam cogenda, cum coactiones, absolutae difficiles soleant exitus frequenter habere. Supereft c. 17. d. t.

14. Nonnullibi id moderamen superest, quod, si de initis Sponsalibus constet, judex ecclesiasticus pronuntiet, fidem esse exsolvendam; quod si sponsus recusat, imponenda ipsi est poenitentia, aut erogatio eleemosynae ob fidem violatam: sed ad dotandam, vel alienam Sponsam Sponsum cogere non potest, quamvis id olim fieret per censuram excommunicationis. Dissolvit autem desponsos, et permittit, ut coram judice saeculari ad damnum, et interesse agant.

15. Juxta Interpretum sententiam et Judex civilis poenis, et mulctis ad Sponsalia complenda compellere potest, et si juramento confirmata haud sint; sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam.

16. Ipsis partibus plenior libertas est, Sponsalia contracta, etsi juramento confirmata sint, mutuo consensu dissolvi, quia nihil tam naturale est, quam unumquoque eo modo dissolvi, quo colligatum est. c. 2. de Spons.

17. Sponsalia tamen inpuberum etiam mutuo consensu dissolvi non possunt, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint. Statutum id est ita ob inconstantiam, et levitatem puerorum; ne quotidie nova contrahant sponsalia, et rursus ab iis resiliant. c. 8. *de despōns.*
Impub.

18. Sunt et in sponsalibus puberum legitimae causae resiliendi ex parte partis laesae, tametsi Sponsalia juramento firmata fuerint, quia juramentum naturam contractus sequitur. Hinc decidit Pontifex, solvi Sponsalia ex parte sponsi, si sponsa fornicata fuerit, vel evaserit leprosa, paralitica, caeca etc. c. 25. *de Jurej.*

19. Si sponsa cum alio Matrimonium contraxit, Sponsus a fide data simpliciter liberatur. Si tamen evenerit, quod contractum cum alio Matrimonium solutum fuerit, urgente priore sponso, sponsa a priore fide haud liberatur. c. 32. *de Spons. et ibi Interp.*

20. Hoc fere exemplo si alteruter desponsatorum ingreditur religionem, mox ab ingressu censentur solvi Sponsalia ex parte partis remanentis, ut nimis ei liberum sit cum alia contrahere: sed ex parte ingredientis potius obligatio suspenditur, quamdiu in proposito perstiterit: si enim eam deseruerit, mox ex parte ipsius prior fides reviviscit.

21. Ex causa diutinae absentiae solvuntur Sponsalia, ita, ut parte superstiti liberum sit, ad alia vota transire, si justo tempore absens non redierit. Et si quidem tempus, quo Matrimonium contrahendum foret, Sponsalibus adjectum est, eo elapso Sponsalia ulterius non obligant: si autem tempus expressum non sit, arbitrio judicis relinquitur, illud figere, ut praesens ab obligatione solvatur. c. 5. et 22. de Spons.

22. Jure Decretalium Sponsalia privata auctoritate solvere licet. Alicubi tamen recentiores Ordinationes statuunt, ut causa per Episcopum, aut ejus Officiale discutiatur. Quod intelligi oportet de Sponsalibus publicis coram Ministro Ecclesiae ritu solemni contractis.

Cap. 3.
De Pro-
clam.
Spons.

23. Inde a tempore contractae obligationis Sponsalia publice in Ecclesia denuncianda sunt, ut, si quis futuro Matrimonio, quod publice proclamatur, quidquam opponendum censeat, id illo intervallo proponere queat. Veteri usu Galliae illas proclamationes Banna, veluti edicta publice dicere placuit. c. 27. de Spons.

24. Hic vetus usus Galliae per Concilium Lateranense IV. in universam Ecclesiam successu temporis propagatus est, ut, cum Matrimonia fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros

proponantur competendi termino, Re-
fert. c. 3. de cland. desp.

25. Praecedit Concilium Tridentinum,
ut im posterum, antequam Matrimo-
nium contrahatur, a proprio contra-
hentium Parocho tribus continuis die-
bus festivis in Ecclesia inter Missarum
solemnia publice denuntietur, inter
quos Matrimonium sit contrahendum.

Trid. sess.
24. de
Ref.
Matr. c. 1.

26. Quum scopus harum proclamatio-
num sit, detegere impedimenta Matri-
monii; merito requirit S. Synodus, ut
a proprio utriusque contrahentis Paro-
cho fiant, si desponsi diversae Parochiae
fuerint. En Synodi Mechliniensis II. De-
cretum: *Quandocunque, inquit, Ma-*
trimonium contrahere volentes sunt c. 3.
diversarum Diaecesium, Decanatum,
vel Parochiarum, Parochus unius ad
solemnis actionem Matrimonii non pro-
cedat, nisi et omnes proclamationes in
Ecclesia sua fecerit, nullumque intel-
lexerit impedimentum canonicum; et
similiter Parochum alterius desponso-
rum omnes tres Proclamationes fecisse,
nullumque canonicum impedimentum
denuntiatum esse, ex testimonio ejus-
dem Pastoris certo cognoverit, vel de
dispensatione Ordinarii iphi constiterit.
Et si forte signaturam illius Pastoris
non noverit, et testimoniales sibi exhi-
bitas de falso suspectas habeat, exi-
gat testimonium saltem unius personae

Conc.
Mechl.
Tit. 10.

fide dignae, quod testimoniales illae sint scriptae, vel subsignatae manu ejus, a quo scriptae, vel subsignatae esse dicuntur: vel, si hujusmodi testimonium haberi non possit, exigat juramentum ab altero desponsorum, quem testimoniales illae concernunt, quod eas a Parocho suo acceperit, vel ab eo scriptas esse sciat. Et, si quem hic perjurum esse, aut crimen falsi committere contigerit, is gravissime puniatur.

27. Si Matrimonium contracturi in Parochia, in qua moderna est eorum habitatio, brevem moram traxerint; ita, ut ibidem haud satis noti sint; et si ibidem Matrimonio jungi possint, nihilominus in Parochia, in qua prius habitabant, ubi verisimilius est, fore, ut impedimenta sciantur, denuntiationes fieri solent. Siquis plura habet domicilia in diversis Parochiis, faciat denuntiationes in ea, in qua diutius habitat, et principaliorem habet larem, vel potius in ea, in qua verisimilius est, sciri impedimenta.

Trid.
Supr.

28. Hoc fine decernit S. Synodus, proclamationes fieri diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia: quando nimirum solet esse major populi concursus; ut ita Matrimonium contrahendum magis innotescat, et impedimenta facilius detegantur. Hinc alicubi statu-

tum est, ut proclamationes publicae, quae ad Matrimonium contrahendum praerequiruntur, fiant initio concionis, aut post lectum in ea Evangelium, aut alio non minus commodo tempore, alta tamen semper, et intelligibili voce, expresso nomine desponsatorum; et caueatur, ne illa alterentur, aut in aliud idioma inflectantur.

29. Porro Parochi est, frequenter monere populum, ut siquae noverit impedimenta, quamvis occulta, ipsi saltem Parocco revelet; ne alioquin suo alienorum peccatorum complex reddatur. Enimvero sufficit unus testis, vel alia semiplena probatio ad Matrimonii impedimentum opponendum, ut solemnisatio differatur, aut uberiori inquisitione procedatur. c. 12. de Spons.

30. Ecce et privata notitia Parochi ei justum locum facit, sedulo monendi desponsandos de longa serie peccatorum, aliorumque incommodorum. cui se innectunt, qui cum impedimento, licet occulto, contrahunt. Quippe hac mentione fieri potest, ut ipsi contrahentes, aut alter eorum impedimenti conscientius illud ultro fateatur. Juxta Decretum Synodi Audomarensis *Parochus in Confessionali ultro poenitentem roget, an nulla sciat Matrimonii, quod contracturus est, impedimenta. Non tamen, quod a Parocco revelanda, aut*

Synod.
Audom.
Tit. 10.
c. 10.

aperienda aliquando sint peccata Poenitentis, aut ea, per quae in peccatorum illius notitiam veniatur. Sed quod adduci eo, et persuaderi poenitens possit, ut aut aperiat ipse, aut aperiri permittat, proposito ipsi aeternae salutis suae hinc pendentis discrimine. Nam, si huc adduci non possit, neganda quidem ipsi est absolutio a peccatis; sed a Matrimonio, etiam si illud forte vere, propter impedimentum dirimens, non ineat, invitus repellendus non est, quando res non nisi ex Confessione nota est.

Trid. cit. loc. 31. Ait Synodus Tridentina: *Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot praecesserint denuntiationes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parochio, et duobus, vel tribus testibus praesentibus Matrimonium celebratur, ita, ut ante illius consumationem denuntiationes in Ecclesia fiant — nisi Ordinarius ipse judicaverit expedire, ut praedictae denuntiationes remittantur, quod illius prudentiae, et judicio S. Synodus relinquit.*

32. Hoc Decreto S. Synodus diserte dispensationem contrahendarum, remittendarumque denuntiationum Ordinarii, id est Episcopi diaecefani, vindicat auctoritati, ita, ut alii inferiores

Praelati, Episcopali quasi jurisdictione
freti, eam sibi nequaquam arrogare
queant. Atque ita a S. Congregatione,
probante Gregorio XIII. decisum fuisse
testatur Fagnanus.

Fagn. ad
c. 3. de
cland.
desp.

33. Et vero Episcopalis dispensatio
bina cautela restringitur; una, ut sal-
tem una denuntiatio praecedat; altera,
si periculum tale sit, ut nec tantillo
tempore differri queat, Matrimonium, re-
missa omni denuntiatione, coram Parocho,
et testibus contrahi quidem potest, sed
ante illius consumationem denuncia-
tiones in Ecclesia fieri oportet. At haec
cautio passim negligitur.

34. S. Synodus quidem unam tantum
causam dispensandi: *Si probabilis fuerit
suscipio etc.* expressit, dubium tamen
non est, posse plures, et alias causas
occurrere, quia iudicio Ordinarii relin-
quitur, nihilominus eo exemplo ostendit
ur, Ordinarium debere esse valde
moderatum, et discretum in relaxandis
proclamationibus, nam nonnisi gravi de
causa dispensandum est.

35. Absolutis denuntiationibus locus Cap. 4.
est Matrimonio, quod novo jure ali- De Matr.
quando dicitur dispensatio de praesenti.
Definitur illud ad exemplum legum ci-
vilium *Maris*, et *foeminae conjunctio*,
individuam vitae consuetudinem con-
tinens. Refert. c. 11. de *Praesumpt.*

36. Ita Matrimonium sumptum tripliciter distinguitur. Aliud dicitur *legitimum*: utpote quod secundum leges, in proprietate contractus, vel status civilis, gentilisque legitime celebratur, quale est et *Judaeorum*, et infidelium: Matrimonium enim verum et inter infideles existit. c. 7. *de Divort.*

37. Inter fideles autem et verum, utpote legitimum, et *ratum*, existit: *Quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur; sed ratum efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo durante perduret.* Refert. *ibi.*

38. Omnimoda insolubilitas Matrimonio legitimo, ratoque accedit per consumationem copulae, qua vir, et uxor una caro efficitur; exinde enim quaedam perfectio, quantum ad mysticam significationem, resultat, ut vineulum Matrimonii magis indissoluble reddatur. c. 5. *de Bigam. non Ordin.*

Trid. sess.
24. de
Sacr.
Matr.
can. I.

39. Reliquum est, ut explicationis causa, proprietatem contractus a dignitate Sacramenti aliquantum divellamus. Pronuntiat Synodus Tridentina: *Siquis dixerit, Matrimonium inter fideles non esse vere, et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum — anathema sit.*

40. Quantum ad proprietatem contractus, Matrimonium solo consensu legitimo contrahentium perficitur. *Nuptias enim (ait Jurisconsultus) non concubitus, sed consensus facit.* Refert. L. 30. ff. de Reg. Jur.

41. Hic consensus non modo verbis, sed et litteris, et signis exprimi potest. Sic decidit Pontifex, et mutum, et surdum contrahere posse Matrimonium, quia, quod verbis non potest, signis valeat declarare. c. 23. de Spons.

42. Contractus Matrimonii et per Procuratorem absolvit potest. Procurator tamen juxta Jus Decretalium ad contrahendum Matrimonium non censetur idoneus, nisi mandatum habeat speciale; et quamvis alias Procurator alium sibi substituere possit, in hoc tamen negotio non poterit deputare alium, nisi hoc eidem sit specialiter concessum. *Sane, inquit Pontifex, si Procurator, antequam contraxerit, sit a Domino revocatus: contractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam eadem, qua cum contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignoraverit) nullius momenti existit, cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.* Ita diserte c. 9. de Proc. in 6.

43. Ex parte contractus Matrimonium admittit et conditiones, et modos.

Conditiones de praesenti, aut praeterito contractum mox validum, aut invalidum reddunt. Sed conditiones de futuro contingent contractum vere suspendunt. Inde censem, his potius Sponsalia de futuro, quam Matrimonium contrahi, si quidem non adest consensus de praesenti, quoisque conditione suspenditur.

Gouza-
lez. ad
c. 3. de
condit.
appos.

44. Jure Decretalium conditiones turpes, et impossibles *per viam modi* adjectae, pro non adiectis habentur, nisi contra substantiam conjugii inferantur; haec enim, *per viam modi* expressae contractum nullum reddunt. *c. 7. de Condit. apposit.*

45. Reliquis juris novi exemplis ad valorem contractus solus consensus contrahentium sufficit. Inde Consilium Tridentinum anathemate perstrinxit Novatores, qui jactabant, *Matrimonia a filiisfamilias fine consensu parentum contracta, jure divino irrita esse, et Parentes privata auctoritate, ea rata, vel irrita facere posse.*

46. Pertinet ergo alicubi ad curam civilis potestatis, ut exemplo veterum Legum, et Canonum Filiisfamilias, aliique alienae potestati subditi, quoisque minores sunt, ad consensum Parentum, Tutorum, Curatorumque in contrahendis nuptiis adstringerentur. In Gallia per Edictum Bleffense Ann. 1579. vetat Rex

Trid. sess.
24. de
Ref.
Matr.
c. I.

Edict.
Bleff.
art. 40.

Henricus III., ne Parochi, Vicarii, ali-
que qui solemnisationi Matrimonii assi-
stunt, filiorum familias, aliorumque, qui
alienae potestati subjecti sunt, despon-
sationes suscipiant, nisi ipsis constet de
consensu Parentum, Tutorum, aut Cu-
ratorum.

47. In Belgio per Edictum Caroli V.
et Philippi II. querela ad censuram Ju-
dicis remittitur, si Parentes injuste con-
sensum suum Filiis familias pro iuxtiis
denegasse dicerentur. Quis dubitat, has
leges exemplis veteris juris Regii illu-
strari? L. 19. ff. de Rit. Nupt.

48. Ait Justinianus: *Justas autem
inter se nuptias cives Romani contra-
hunc, si secundum legum praecepta
coeunt: masculi quidem puberes, fae-
minae autem viri potentes, sive Patres-
familias sint, sive Filiifamilias; dum-
modo tamen, si Filiifamilias sint, con-
sensum habeant Parentum, quorum in
potestate sunt. Refert. pr. Inst. de Nupt.*

49. Quantum ad Sacramentum inquit
S. Ignatius M.: *Decet vero, ut ducen-
tes uxores, et nubentes cum Episcopi
arbitrio per S. benedictionem, conjun-
gantur, ut nuptiae juxta praeceptum
Domini sint, non autem ad concipi-
scientiam.*

Cap. 5.
De Mi-
nistr.
Sacr. S.
Ignat.
M. ep. ad
Polyth.

50. En veterem morem! Juxta De-
cretum Concilii Carthaginensis IV. Spon-
sus, et Sponsa, cum benedicendi sunt

a Sacerdote, a Parentibus suis, vel Paronymphis offerantur; atque cum acceperint benedictionem, eadem nomine eum reverentia ipsius benedictionis in virginitate permaneant. Refert. c. 5. XXX. q. 5.

Capit. lib. 7. c. 179. 51. *Hoc exemplo et veteres leges Wisigothorum, Longobardorum, Francorum sanxerunt, aliter nec in via contractus celebrari posse legitima conjugia, nisi per sacerdotalem benedictionem.* Capitularia Regum Francorum ita statuunt: *Prius convenientius est Sacerdos, in cuius Parochia fieri nuptiae debent in Ecclesia coram populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse Sacerdos debet, si ejus propinqua sit, annona? aut alterius uxor, vel Sponsa, vel adultera? Et, si licita, et honesta, praemillis his denuntiationibus, omnia pariter invenerit, tunc per consilium, et benedictionem Sacerdotis, et consultu aliorum bonorum hominum eam sponsare, ei legitime dotare debet.*

52. Supersunt in Decreto Gratiani veteres auctoritates ecclesiasticae, inter quas una S. Evaristo attributa pronuntiat: *Aliter legitimum non fit conjugium etc. Et suo tempore sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus, et oblationibus a Sacerdote benedicatur.* — — Ita peracta legitima scitote esse conjugia; aliter vero praesumpta, non conju-

gia, sed adulteria, vel contubernia, vel stupra, vel fornicationes potius, quam legitima connubia esse non dubitate. Refert. c. 1. XXX. q. 5.

§3. Enimvero et in purissima Ecclesiae disciplina Tertullianus scripsit: *Ideo penes nos (occultae quoque conjunctio-*nes) *id est, non prius apud Ecclesiam professae juxta maechiam, et fornicationem periclitantur judicari.*

§4. Jure novo praevaluerunt clandestina conjugia, quia ex principiis scholasticis valida *in via contractus* censabantur conjugia, si simplici consensu contrahentium constitissent. Concilium Lateranense IV. quidem statuit, ut publicae denuntiationes nuptiis praemitte-rentur: sed superfuit veterum corruptelarum grandis fomes, quia clandestinae desponsationes integro vigore stabant. c.

3. de Cland. Despons.

§5. Concilium Tridentinum hac occasione declaravit: *Qui aliter, quam praesente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, ad sic contrahendum inhabiles esse, et hujusmodi contractus per praefens Decretum irritos, et nullos esse.*

§6. De caetero S. Synodus non nisi unum Parochum alterutrius partis requirit. Inde S. Congregatio decidit, praे-

Tertul de
pudic.

Trid. sess.
24 de Ref.
Matr. c. 1.

sentiam Parochi unius partis, si desponsi diversarum Parochiarum, vel Diaec-
sium sint, sufficere. Consuetudo multis locis habet, ut potius coram Parocho mulieris, quam viri Matrimonium celebretur. Alibi solent nuptiae solemnisari a Parocho loci, in quo contrahentes domicilium habent.

57. Enimvero proprius Parochus vi Tridentini Decreti Parochus domicilii, praeterito Parocho originis, spectatur, ita ut pro tempore contracti Matrimoniī saltem oporteat alterutrum titulo domicilii Parochianum esse.

58. Parochi assistentia, ad valorem Matrimonii a Tridentino Concilio expressa, censetur actus Pastoralis, ita, ut inde nihil referre existiment, an Parochus in propria, an in aliena Parochia, vel etiam Diaecesi, quamvis etiam resistente, aut reclamante Parocho, Ordinariove illius loci, assistat; aut et Parochus assistens excommunicatus, suspensus, interdictusve sit, aut ipse sacerdotio destitutus sit.

59. Parochus nonnisi Sacerdoti facultatem assistendi Matrimonio sui Parochiani delegare potest. Sufficit autem tempore contractus praebuisse licentiam; an verbo, an scripto, haud refert. Consultius tamen plerumque est, specialem expressisse licentiam.

60. Ait S. Synodus: *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, aut ORDINARIi licentia.* Nomine Ordinarii intelligitur Episcopus Diaeceanus, sub quo contrahentes degunt, tum et ii, qui in auctoritatem, et jurisdictionem Episcopi succedunt; veluti Vicarius generalis, aut Sede vacante Capitulum Cathedrale, hujusque Vicarius. Potest quidem Ordinarius hanc licentiam, et invito, vel inconsulto proprio Parocho, alteri Sacerdoti delegare; sed non expedit, nisi justa causa urgeat, quia non vacat injuria, Parochum suo jure ordinario truncare aut spoliare.

61. Quum multi sint, qui, fixo domicilio destituti, vagantur; inde S. Synodus praecipit singulis Parochis, ne illorum Matrimonii intersint, nisi prius diligentem inquisitionem fecerint, et re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi obtinuerint. Multis locis proprium Vagabundorum Parochum constituere placuit, ut coram eo Matrimonia illos celebrare oporteat. Mili-
tum proprius Parochus Capellanus Ca-
strensis censetur. Qui in praesidiis, vel
Provinciis morantur, loci Parochum, ut
proprium fortiuntur. Reliqui ignoti, et
qui certas sedes non habent, ad con-
trahendum Matrimonium admittendi
baud sunt, nisi praeviis attestacionibus
Pastoris, ubi novissimam fecerint resi-

Trid.supr.
c. 7.

dentiam, aut aliorum fide dignorum, quorum sigilla, vel signaturee sint Pastorū, coram quo contrahere volunt, bene notae, aut sufficienti aliorum depositione apud eundem comprobatae.

62. Praeter praesentiam Parochi, aut alterius Sacerdotis requirit S. Synodus et assistentiam duorum, vel trium testium. Qualitatem testium nullam expressit Concilium. Unde admittuntur testes quicunque mentis compotes; viri, et mulieres, proximi, et extranei; rogati, aut inviti.

63. Praesentiam Parochi, testiumque oportet esse non modo corporalem, sed et moralem, ita, ut sciant, et intelligent, quid agatur. Quippe horum testimonio Matrimonium comprobandum est, ut incommodis ex clandestina conjugatione imminentibus occurri possit.

64. Juxta Decretum Tridentinum haec Parochi, testiumque praesentia adeo necessaria est pro valore Matrimonii, ut nec ignorantia, invincibilis etiam, ejus defectum supplere queat, aut privati alicujus necessitas excusare possit: ideoque Matrimonium, Parochi, testiumque assistentia destitutum, (eoquod vel tempore pestis, vel in articulo mortis horum copia haberi non potuerit) invalidum censetur.

65. Huic Decreto locus est in omnibus Provinciis, in quibus illa Constitu-

tio promulgata fuit. Decernit enim diserte Concilium, ut *hujusmodi Decre-
tum in unaquaque Parochia suum ro-
bur post triginta dies habere incipiat,
a die primae publicationis in eadem
Parochia factae numerandos.*

66. Succedente libertate religionum alicubi receptum est, quod ad vitium clandestinitatis abstergendum, oporteat vel coram Magistratu civili, vel ministri stello haeretico nuptias celebrare.

67. Supersunt diversi ritus, quibus Matrimonii Sacramentum inter fideles celebrandum est. Meminit Nicolaus I. veterum rituum, quibus Matrimonii Sacramentum administrari in Ecclesia consuevit. c. 3. XXX. q. 5.

68. Horum exemplo Synodus Cameracensis Anno 1565. observat: *Matrimo-
nium res sacra est, sancta, et arcta con-
junctione divinitus instituta, cum non-
dum inter homines peccatum natum
esset. Quare nec suscipi, nec tradi, ni-
si sancte, ac religiose debet.*

69. Quantum ad locum: *Matrimo-
nia in facie Ecclesiae fieri mandat Sy-
nodus, ac Pastoribus praecipit, ut do-
ceant conjuges, non tantum esse ho-
norificium, sed utile, faustum, ac au-
spicatum, si res sacra, cuiusmodi
Matrimonium est, loco sacro celebre-
tur.*

Cap. 6.
De Rit.
admin.
Matr.
Sacr.

Synod.
Camer.
Tit. 15.
cap. 1.

c. 7.

70. Quantum ad tempus: *Matrimonii benedictio non nisi sub finem Mis-
sae, cui interfuerint contrahere volen-
tes, nec ante quartam matutinam, nec
post meridiem conferatur.* Peccare au-
tem graviter admonemus eos, qui no-
ētu, vel clanculum benedictionem nu-
ptialem sibi dari procurant propter
metum maleficii. En Concilii Remensis
de Anno 1583. Decretum.

Conc.
Rem. de
Matr.

71. Inter hos ritus locum habet be-
nedictio, porrectiove annulorum. Ex
sententia Isidori: *Quod in primis nu-
ptiis annulus a Sponso Sponsae datur,
sit hoc nimirum vel propter mutuae
fidei signum, vel propter id magis,
quod eodem pignore eorum corda jun-
gantur.* Refert. c. 7. XXX. q. 5.

72. Ex praescripto Pastoralis Mechli-
niensis Sacerdos mysticam significatio-
nem annulorum hac formula exprimere
monetur. *Accipe, inquit, annulum fi-
dei matrimonialis, in nomine SS. Tri-
nitatis, ut illum portans, sis arma-
ta virtute caelestis benedictionis, et
proficiat tibi ad salutem aeternam.*

Trid. cit.
loc.

73. In Decreto Gratiani meminere
veteres autoritates benedictionis sacer-
dotalis, qua nuptias donare oportet.
Juxta Decretum Tridentinum: *Parochus
viro, et muliere interrogatis, et eo-
rum consensu intellecto, vel dicat pro
formula benedictionis: Ego vos in Ma-*

trimonium conjungo, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, vel aliis utatur verbis juxta receptum unius-cujusque Provinciae ritum. *Enimvero ex sententia probabilior Theologorum hujus Sacramenti essentialis forma in his, aliisve verbis, a Sacerdote prolatis consistit.*

74. *Accepta sacra benedictione praecipit S. Synodus, celebrata conjugia, ut certa semper eorum fides haberi queat, litteris consignari. Habeat, inquit, Parochus librum, in quo conjugum, et testium nomina, diemque, et locum contracti Matrimonii describat, quem apud se diligenter custodiat.*

Ibi.

75. *Mandatur et edictis Principium, ut Magistratus locorum quotannis exemplum authentizatum cum Registro Parochiali, in quo notantur Baptismata, Matrimonia, et sepulturae omnium eorum, quae toto anno occurserunt, a Parochis exigant, in sua respective archiva relaturi.*

76. *Episcopis praecipit Concilium Tridentinum, ut curent nuptias ea, qua decet, modestia, et honestate fieri. Sancta enim res est Matrimonium, et sancte tractandum. Juxta vetus Decretum Synodi Laodicaenae. Non oportet Christianos ad nuptias venientes se turpiter, et indecore gerere, vel saltare;*

Trid. sicc.
24. de Ref.
Matr. c. 10.

Synod.
Laod.
c. 53.

*sed modeste caenare, et prandere, ut
debet Christianos.*

77. Synodus Agathensis singulariter commendat Clericis: *ut nuptiarum evi-
tent convivia, nec in his caetibus ad-
misceantur, ubi amatoria cantantur,
et turpia, aut obscaeni motus corpo-
rum choreis, et saltationibus efferun-
tur.* Refert. c. 19. D. 34.

* 78. Inter has modestiae leges quid
Tob. c. 6. salubrius supereft, quam ut Parochus et
novellis conjugibus sobrietatem, et mo-
deramen consortii connubialis commen-
det? En confilium angelicum! Accipies,
inquit, virginem cum timore Domini,
amore filiorum magis, quam libidine
ductus, ut in semine Abrahae benedi-
ctionem in filiis consequaris. Hoc exem-
pli praecipit Concilium Carthaginense
IV., ut *Sponsus, et Sponsa, cum ac-
ceperint benedictionem, eadem nocte pro-
reverentia ipsius benedictionis, utpote
Sacramenti, in virginitate permaneant.*
Refert. c. 5. XXX. q. 5. Praecipit Sy-
nodus Audomaren sis, ut Parochi novel-
los conjuges instruant, ubi res postu-
lat, verecunde, et modeste, *ut non
existiment, sibi quidvis inter se licere,
nec se habere mutuam corporum pote-
statem, ita, ut quidvis alteri liceat
cum alterius corpore — quam mem-
bra ad generationem a natura depu-
tata, quibus utantur eo modo, quo*

Synod.
Audom.
Tit. 10.
c. 17.

*ex naturae institutione generationi ser-
viunt, non alio. Juxta Pastorale Me-
chliniense: Parochus novos conjuges
etiam coram populo hortetur egregie,
ut ad exemplum Tobiae, et SS. Cano-
num consilium, propter reverentiam
Sacramenti, et benedictionis biduo,
vel triduo orationibus vacent, et ca-
stitatem servent, ut sic tanquam Filii
Sanctorum conjugium Christianum cum
Dei timore consumantes SCIANT UTER- I. Theff.
QUE VAS SUUM POSSIDERE IN SANCTIFI- c. 4. v. 5.
CATIONE, ET HONORE, NON AUTEM IN
PASSIONE DESIDERII, SICUT GENTES, QUÆ
IGNORANT DEUM.*

TITVLVS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

CAPVT I.

De Autoritate Statuendi Impedimenta.

1. A legitimis conjugiis oportet di-
stinguere reliqua sequiora consortia, quia
nequidem nomine Matrimonii digna ha-
bentur. Quippe in censura juris damnata
conjugia verius sunt crimina, quam con-
nubia. c. 8. XXXV. q. 2. et. 3.

2. Ecce! et divinae leges, et huma-
nae titulo criminis nonnullas nuptias Exod. 20.
pridem proscripterunt. Supersunt nobis
veteres leges divinae Theocratiae he-

braicae in sacro Codice, quibus gradus levitici titulo sceleris, et abominationis prohibentur.

3. Inter reliquas gentes prodierunt leges humanae, quae sequiores nuptias damnant. Meminit S. Augustinus, etiam inter impios Idolorum cultores invaluisse, quod a fraternis conjugiis ita solerent abhorrere, quasi nunquam licere potuissent. c. un. XXXV. q. 1.

4. Reliquis omnium gentium veteribus auctoritatibus constat, legitimam potestatem legislativam suam fecisse illam curam, legitima Matrimonia discernendi a sequioribus conjunctionibus, quas infamia criminis justa crisis rejectit, vel respersit. Ait S. Augustinus: *Capitulatio ergo maris, et faeminae, quantum attinet ad genus mortalium quoddum Seminarium est charitatis,* seu ut alii legunt, civitatis. Integer locus S. Augustini subdit: *Sed terrena civitas generatione tantummodo: caelestis autem etiam regeneratione opus habet, ut generationis noxam evadat.* c. un. §. 3. XXXV. q. 1.

5. Contractus matrimonialis ut finem, ad quem a natura ordinatus est, obtinebat, etiam Gentes lumine fidei destituta fuerunt sollicitae, et suis legibus contractum hunc ita circumscripserunt, ne extra finem a natura praescriptum exorbitaret: hinc tot Romanorum Prin-

cipum circa aetatem, qualitatem, caeteraque ad Matrimonium spectantia leges, quae etiam hodie in corpore juris leguntur.

6. Insuper cum Matrimonium ad bonum politicum ordinetur, atque ex Matrimoniis convenienter, aut inconvenienter initis multum dependeat Reipublicae tranquillitas, aut turbatio: ideo Magistratus quoque civiles prospicere debent ut Matrimonia sic ineantur, ne bonum politicum, et regimen Reipublicae inde patiatur, aut tranquillitas familiarum turbetur.

7. Demum cum Matrimonium Christianorum per Christum ad Sacramenti dignitatem, et efficaciam fuerit elevatum, ac proin ordinetur ad sanctificationem fidelium, ad Ecclesiam spectat providere, ut fideles per Matrimonium hunc finem assequantur.

8. Haec omnia brevi compendio comprehendit D. Thomas inquiens: *Quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti: generatio autem humana ad multa ordinatur, etiam ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit: unde oportet, quod hujusmodi generatio a diversis dirigatur: in quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetui-*

S. Thom.
lib. 4. c.
Gent. c. 78.

tas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem, et sic dicitur esse naturae officium: in quantum vero ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis: in quantum igitur ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet, quod subjaceat regimini ecclesiastico.

9. Hoc principio praesupposito evidenter sequitur, jure naturae quaedam posse requiri, sine quibus Matrimonium vel illicite, vel invalide ineatur, eo quod sine his finis a natura intentus haberi nequeat.

10. Similiter si juxta S. Thomam Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis, sequitur, quod possint per legem civilem, seu Magistratum statu quaedam Impedimenta, quae sunt necessaria, aut convenientia, ut Matrimonium hunc finem assequatur: hinc subdit D. Thomas: *Ideo ex qualibet dictarum legum naturae, humanae, et divinae potest persona effici ad Matrimonium illegitima.*

D. Thom.
l. c.

11. Potuerunt ergo, et adhuc hodie possunt Principes infideles Impedimenta etiam dirimentia statuere inter subditos suos infideles, eo quod hujusmodi Matrimonia manent etiam hodie contractus mere civiles. Nec minus certum est, quod etiam Principes saeculares Catholici,

lici, et quoad subditos suos catholicos possint statuere Impedimenta *impedientia*, adeo, ut, illi, qui contra has Principum ordinationes agunt, puniri, atque effectibus civilibus Matrimonio aliquin annexis privari queant, prout praxis hodierna circa nuptias evincit. Quinimo juxta Sanchez: *poteſt Princeps ſaecularis ex genere, et natura ſuac poteſtatis Matrimonii impedimenta dirimentia fidelibus ſibi ſubditis ex iusta cauſa indicere*, cum regia potestas ad procurandum Reipublicae bonum, et rectam ejus gubernationem fit instituta, et ad aſsequendum hunc finem omnino conducent Matrimonia convenienter contracta, nec non hujus Sacramenti materia fit contractus civilis: ideo Principi ſaeculari competit potestas personas ad ineundum hunc contractum reddendi inhabiles, contractaque contra ejus ordinationes Matrimonia irritandi.

Sanchez.
de Matr.
Tit. 7.
disp. 3.
n. 2.

12. Ast etiam ii plerique, qui Principibus ſaecularibus attribuunt facultatem statuendi dirimentia Matrimonii impedimenta, eam illis competere aſſerunt attenta ſolum, et praecife potestate regia, non tamen attento rerum ſtu, in quo Ecclesia ſive ſecundum aliquos annuentibus, aut ſaltem non contradicentibus Principibus ſaecularibus, ſive ſecundum alios auctoritate

sua vindicavit causas matrimoniales: hinc a multis saeculis Principes saeculares nihil amplius circa vinculum Matrimonii statuerunt, sed integrum illius juris usum Ecclesiae permiserunt, adeo ut ipsimet pro impedimento dirimente susciperent, quod Ecclesia ut tale declarasset.

* 13. Verior et fundatior est Gmeineri hac super re *sententia*; qui tomo 2. *instit. jur. Eccles.* §. 262. Ecclesiae potestatem matrimonii, in quantum est, sacramentum, impedimenta statuendi agnoscit; §. tamen 264. ex solidis fundamentis ostendit, principibus vi auctoritatis propriae competere jus statuendi impedimenta Matrimonii, in quantum est contractus; *en ejus verba* §. 262.: Matrimonium est Sacramentum, Ecclesiae vi juris liturgici jus competit determinandi modum, quo Sacramentum distribui, et percipi debeant. Ergo etiam potest praescribere modum, tempus, et conditiones, quibus non positis sacramentum matrimonii percipere non est licitum, quia vero id, quod liceitatem, aut valorem matrimonii impedit, impedimentum matrimonii dicitur, liquet, Ecclesiam jus habere matrimonio *qua sacramento* statuendi impedimenta. — Et §. 264. Imperantibus Cilibus jus competit statuendi impedimenta Matrimonii *qua Contractus*. Imperanti jus competit introspiciendi, ne societas in civitate existentes eidem

evadant noxiae, seu invigilandi, ne in-
eantur modo civitati noxio. Matrimo-
nium est societas in civitate existens,
ac proin modus hanc societatem ineundi
determinationi principum civilium sub-
jacet. Quia porro haec propositio: *quid-
quid fini civitatis repugnat, est omit-
tendum*, praeceptum est legis natura-
lis, etiam contractus matrimonii, mo-
do civitati noxio celebratus est illicitus,
aut invalidus. Jus examinandi pacta ci-
vium, eaque si noxia civitati deprehen-
dantur, irritandi, aut prohibendi, est
jus majesticum; ergo principis est de-
terminare, quando contraetus matri-
monialis sit illicitus, aut invalidus. Id
ipsum vero, quod contractum matrimo-
nii illicitum aut invalidum reddit, ma-
trimonii est impedimentum, itaque ma-
trimonio spectato praecise ut *contra-
tui*, praescindendo a sacramento, solus
princeps civilis impedimenta ponere
potest.

14. Ecclesia hanc potestatem statuen-
di dirimentia Matrimonii impedimenta
a primis jam saeculis exercuit, prout
innuit Canon 26. vulgo Apostolorum: *Ex
iis, ait, qui non ducta uxore ad Cle-
rum promoti sunt, jubemus, si velint,
uxorem ducere, Lectores, et Canto-
res solos: sive ut legit Dionysius exi-
guus: sed Lectores, Cantoresque tan-
tummodo. Hi Canones licet certo Apo-*

Cap. 2.
De Po-
test. Reci.
stat.
Imp.
Matr.

stolis tanquam auctoribus attribui nequeant, eos tamen admodum antiquos, et primis saeculis collectos fuisse negari non potest, nam citatum Canonem tanquam Apostolorum non tantum citant, sed et tanquam fundamentum sui Decreti assumperunt saeculo VII. Patres Concilii Trullani, ubi inquiunt: *Quoniam in Apostolicis Canonibus dictum est, eorum, qui non ducta uxore in Clerum promoventur, solos Cantores et Lectores posse uxorem ducere, et nos hoc servantes decernimus.*

Siricius
Papa in
ep. ad
Himer.
Tarrac.
cap. 6.

S. Basil.
ep. ad
Deidor.

15. Siricius quoque Papa in ep. ad Himericum Tarragonensem, scribens de nonnullis Monachis, qui abjecto sanctitatis proposito nuptias ambibant, ait: *quod publicae leges et ECCLESIASTICA JURA condemnant: ergo supponit Siricius; jam tum saeculo IV., cum haec scriberet, ecclesiastica jura ejusmodi sacrilegas nuptias condemnantia fuisse stabilita. Insuper eodem saeculo S. Basil. ad Deidorum scribens de viduo, qui sororem mortuae uxoris suae duxerat, hujusmodi Matrimonium reprobat, aitque: Principio igitur, quod in ejusmodi rebus maximi momenti est, morem, qui apud nos est, objicere possumus, quod is legis vim non habeat: propterea quod Sanctiones istae a sanctis viris nobis sunt traditae.*

16. Porro sicut jure ecclesiastico positivo impedimenta dirimentia constitui queunt, ita etiam longa consuetudine, quae vim legis habet, similia induci possunt, prout innuitur cap. I. de Cognat. spirit.

17. Sequitur insuper, quod secundum diversas Ecclesiarum consuetudines possint esse varia Matrimonii impedimenta: quae tamen, nisi manifeste apparet ea pro dirimentibus esse recepta, tantum judicantur impedientia, cum dirimentia non facile inducantur ob multa incommoda, quae ex dissolutione contracti Matrimonii oriri solent.

18. Ab impedimentis ergo dirimentibus discernuntur impedientia; illa videlicet, quae quidem Matrimonium contrahi vetant; sed contractum haud irritant. Horum plura in antiquis Canonibus, in quantum eos ad recentiorem disciplinam explicamus, leguntur. Quid enim in veteri flore poenitentiae canonicae vulgatus; quam quod Poenitentes vel pro tempore poenitentiae, vel perpetuo cubere vetarentur, nisi dispensationem meruissent. c. 12. XXXIII.

q. 2.

19. Hac occasione, cum nonnullis criminibus, quae graviora apparebant, perpetua Poenitentia immineret, omnem spem conjugii adimere placuit raptui,

Cap. 3.
De divis.
Impedim.

conjugicidio, adulterio, incestuique. c. 19, 20, 21, 22 et 23. XXXII. q. 7.

20. His exemplis et novo jure decreatum est, incestuosos ex linea ascendentē, descendenteque omni conjugio esse prohibendos, nisi dispensationem, perfecta poenitentia, meruerint. c. 1. et 2. de eo, qui cognov. consanq. Ux. suue vel Spons.

21. Supereft veteris rigoris exemplum in Hispania circa quosque, qui ob crimen violatae religionis ab inquisitoribus haereticae pravitatis perpetuae poenitentiae subduntur. In reliquis plerisque christiani orbis Provinciis impedimenta impedientia, ex *crimine* provenientia, a nostra memoria recefferrunt.

22. Hodie in classe impedimentorum impedientium praecipuum locum tenent Ecclesiae vetitum, et tempus feriatum. Quippe de Sponsalibus, et voto in eo effectu peculiaris locus alibi dicendi supereft.

23. Quum Patribus visum effet, temporī, luctuique poenitentiae nec actus conjugales, nec nuptiarum laetitias congruero, statuit Synodus Laodicaena: *Non oportet in Quadragesima, aut nuptias, vel quaelibet natalitia (ut pote festivitates, et solemnitates laetitiae) celebrare.* Refert. c. 8. XXXIII.

q. 4.

24. Progressu temporis tres Quadragesimae invaluerunt. Inde decernit Concilium Ilerdense: *Non oportet a Septuagesima usque ad Octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante nativitatem S. Joannis Bapt. et ab adventu Domini usque ad Epiphaniam nuptias celebrare.* Supereft c. 10. ibi.

25. Ævo novarum Decretalium remisit in diversis locis jejunium ante nativitatem B. Joannis: hinc Papa (consultus de computu illarum trium hebdomadum ante festum Joannis) rescripsit, singularum Ecclesiarum consuetudinem esse servandam. c. 4. de fer.

26. Concilium Tridentinum, expunctis hebdomadis ante festum S. Joannis, tempus clausum ab adventu Domini nostri J. C. usque in diem Epiphaniae, et a feria quarta cinerum usque in octavam Paschatis inclusive observandum praecipit, cuius juris usus et hodie viget.

Trid. sess.
24. de
Ref.
Matr.

27. Juxta Interpretes ergo eo tempore vetat S. Synodus sacerdotalem benedictionem nuptiarum cum precibus, et oblationibus, convivia nuptalia, et quamcunque traductionem uxoris ad domum mariti, nisi Episcopus dispensaverit.

Fagn. ad
c. 4. de
fer.

28. Tempus clausum dicitur interdictum Ecclesiae per Canonem, a quo distinguitur interdictum Ecclesiae per judicem. Quippe frequentius est judicis ob-

diversas causas progressui celebrandi con-
jugii intercedere, ut conjunctio aliquam-
diu differatur. Haec sententia proinde
judicis rationem impedimenti impedien-
tis habet, quia justo mandato Superio-
ris morem gerere oportet, licet Ma-
trimonium, si tamen contractum fu-
erit, non solvatur. *c. 1. et P. de Matr.*
contract. contr. interd. Eccles.

29. Hinc si judex ob fundatam suspi-
cionem impedimenti latentis, quod di-
rigeret Matrimonium, Matrimonii con-
tractum prohibuerit, donec de impedi-
mento constet, partes quidem per sen-
tentiam, et censuram ab invicem, si
ad conjunctionem processerint, divelli
possunt, quoisque legitime cognosca-
tur; sed deficiente probatione impedi-
menti Matrimonium, quod contrahere
praesumperunt, nequaquam rescindi-
tur. *c. 3. ibi.*

30. Praecepit Synodus Mechliniensis
P. II.: Impedimento aliquo denuntia-
to, vel Matrimonio desponsorum op-
positione aliqua facta, non prius ad
ulteriores proclamationes, aut Ma-
trimonii solemnisationem Parochus pro-
cedat, quam re ad Ordinarium, vel
eius Vicarium, aut Officiale delata,
ab eodem intellexerit, quid facere de-
beat. Si tamen, hoc vel generali, vel
speciali mandato Episcopi, Conciliique
neglecto, adstiterit Parochus, Matrimo-

Synod.
Mechl.
Tit. 10.
c. 4.

nium coram eo, et testibus contractum, non obstante illo, vel alio interdicto Ecclesiae, validum censetur, nisi aliud impedimentum dirimens inter contrahentes subesse inveniatur. Enimvero juxta modernam disciplinam nemo Papa inferior impedimentum dirimens per interdictum constituere potest. Galli hanc praerogativam Pontifici non tribuunt, nisi Cleri, et Principis consensus accesserit.

31. Impedimentorum dirimentium est et sua divisio. Nam alia sunt publica, alia privata; utpote quae libro partium consensu remitti possunt, veluti error, conditio, vis, metusque. De impedimento, divisioneque erroris tractat Gratianus *c. un. XXIX. q. 1.*

32. Juxta reliquos interpretes error circa personam, aut redundans in personam jure ipso dirimit Matrimonium; etiamsi error non sit conjunctus cum dolo alterius; idque sive sit antecedens, sive dans causam contractui; sive solum concomitans, sive incidens in contractum. Nam non videntur, qui errant, consentire. Refert. *L. 116. §. 1. ff. de Reg. Jur.*

33. Jure novo ad errorem dantem causam contractui, aut redundantem in personam impedimentum conditionis refertur. Veteri jure ait S. Basilius: *quae sine iis, qui habent potestatem, fiunt*

Cap. 4.
De Impe-
dim. er-
ror. et
condit.

S. Basil.
c. 42.

*Matrimonia, sunt fornicationes. Vi-
vente ergo Patre, vel domino, ii, qui
conveniunt, non sunt liberi ab accu-
satione, donec conjugio Domini an-
nuerint; tunc enim firmitatem accipit
conjugium.*

34. Juxta Decretum Concilii Gabi-
lonensis II. nobis visum est, ut conju-
gia servorum non dirimantur, etiam si
diversos dominos habeant, sed in uno
conjugio permanentes dominis serviant
suis. Et hoc in illis observandum est,
ubilegalis conjunctio fuit, et per volun-
tatem dominorum. Ref. c. 8. XXIX. q. 2.

35. Refert Gratianus eo loco et De-
cretum Pseudo-Julii, quo conjugia ser-
vorum tum inter se, tum cum ingenuis
aeque ac ingenuorum legitima reputan-
tur, si solo contrahentium consensu con-
starent, mutuamque conditionem per-
spectam haberent. Grat. ad c. 3. ibi.

36. Hoc exemplo, vel praejudicio
rescripsit Adrianus: *Sane juxta verbum
Apostoli, sicut in Christo Iesu, neque
liber, neque servus est a Sacramentis
Ecclesiae removendus, ita neque inter
servos debent Matrimonia nullatenus
prohiberi: et, si contradicentibus do-
minis, et invitis contradicta fuerint,
nulla sunt propter hac ratione dissol-
venda. Vivimus hoc praejudicio, quia
vetus servitus exolevit, quamvis quae-
dam species hominum glebae adscripto-*

rum, quos homines proprios dicere malumus, supersit. c. i. de conjug. serv.

37. Canones semper improbarunt Matrimonia contra votum castitatis inita. Ait S. Hieronymus: *Si nupserit virgo, non peccat; non illa virgo, quae semet Deicultui dedicavit. Harum enim, si quae nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit.* Ref. c. 5. D. 27.

Cap. 5.
De Im-
ped. vot.
et Ord.

38. Supersunt alibi sat amplio numero veteres auctoritates, quibus sacrilegæ illæ Monachorum, monialiumque nuptiae censuris perstringuntur, ut tam degeneres conjunctiones justa poenitentia eluerentur. c. i. et passim. XXVII. q. 1.

39. Inter has statuit Concilium Chalcedonense: *Siquae virgo se dedicavit Deo, similiter et Monachus, non licet iis nuptiis jungi; si vero inventi fuerint hoc facientes, maneant excommunicati: statuimus vero eis posse fieri humanitatem, si ita probaverit Episcopus loci.* Refert. c. 22. ibi.

40. Jam eo aevo magna differentia inter votum simplex, et solemne fuit. Juxta Innocentium I.: *Hae vero, quae necdum sacro velamine ab Episcopo testae, tamen in proposito virginali se semper permanere simulaverunt, licet velatae non fuerint; his, si nupserint, aliquanto tempore poenitentia est agen-*

da, quia sponsio earum a Domino tenebatur. Ecce voti simplicis, aut privati vetus exemplum. c. 9. XXVII. q. 1.

41. Ait idem Papa: *Quae vero Christo spiritualiter nubunt, et a Sacerdote veluti solemniter, et publice professa, velantur, si publice postea nupserint, non sunt admittendae ad poenitentiam, nisi hi, quibus se junxerant, de mundo recesserint.* Refert c. 10. ibi.

42. S. Augustinus Matrimonia foeminarum voto ligatarum esse valida sustinuisse videtur: refert enim Gratianus hunc S. Augustini locum, ita loquens: *Proinde, qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias sed potius vera adulteria, non mihi videntur diligenter, et accurate considerare, quid dicant — — fit autem per hanc minus consideratam opinionem, qua putant, lapsarum a S. proposito faeminarum, si nupserint, non esse conjugia, non parvum malum, ut a maritis separantur uxores, et cum volunt eas separatas reddere continentiae, faciunt maritos earum adulteros viros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerint.* Supereft. c. 41. XXVII. q. 1. Gratianus compendium verborum S. Augustini hoc modo expressit dist. 27. can. 2. *Quidam nubentes post votum assi-*

runt adulteros esse, ego autem dico, quod graviter peccent, qui tales dividunt. Ad hunc Gratiani Canonem notant Correctores Romani: verba propria hujus capitinis non sunt inventa apud B. Augustinum, sententia tamen habetur in libello de bono viduitatis. Omnino autem intelligendum est de voto simplici, ut Gratianus in fine hujus distinctionis exponit. Statuit Concilium Toletanum I.: Quae autem maritum acceperit, non admittatur ad poenitentiam, nisi aut adhuc vivente mari-
to caste vivere, sejuncto thoro, cae-
perit, aut postquam ipse deceserit. Refert. c. 28. ibi.

43. Frequentior his separationibus locus fuit, postquam poenitentiae coactae invaluerant. Refert Gratianus legem Justiniani Imp. eo tenore: *Siquis rapuerit, vel sollicitaverit, vel corruperit Assisteriam (Asceteriam legunt) vel Diaconissam, vel Monacham, vel aliam mulierem, religiosam vitam, vel habitum habentem, capitali supplicio subjiciatur, mulier autem ubique investigetur, et cum suis rebus cautioni Monasterio tradatur.* Refert. c. 30. cit. C. et Q.

44. Hoc exemplo passim mandavit S. Gregorius, ut Monachi, et Moniales, si abjecto pio proposito ad nuptias convolassent, agendae poenitentiae causa

in arctiora Monasteria revocarentur. c.
15. 18. 19. et XXVII. q. 1.

45. Successu temporis sanxit Carolus M., ut deinceps, sicut Canones ecclesiastici prohibent, nullus Deo devotam virginem, nullus sub religionis habitu consistentem, sive viduitatis continentiam professam, illicito connubio, aut vi, aut consensu accipiat conjugem, quia nec VERUM poterit esse conjugium, quod a majore proposito ducatur ad deterius, et sub FALSI nominis copula incestiva pollutio, et fornicationis immunditia perpetretur. En qualiter regium edictum ecclesiasticos veneretur Canones, atque impedimenta ab his statuta adoptet.

46. Statuit Innocentius II. in Concilio Romano: *quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Canonicci Regulares, Monachi, atque Conversi professi, qui S. transgredientes propositum, uxorem sibi copulare præsumperint, separantur etc.* Refert. c. 40. XXVII. q. 1.

47. Ævo S. Bernardi nonnullis haec decreta a rationibus veteris disciplinae aliena videbantur. Ait S. Bernardus: *Et ad haec nihil ad praesens certius, breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita S. Antistites sapuerunt. Retene? Ipsi viderint.*

Cap.
Carol.
lib. VI.
308.

S. Bern.
de Prae-
cept. et
dispens.
c. 17.

48. Gratianus ex Poenitentiali Theodori Cantuariensis refert: *Si vir simplex votum Virginitatis habens, ad jungitur uxori, postea non dimittat uxorem: sed tribus annis poeniteat.* Abest vocula simplex ab omnibus exemplaribus, est tamen in aliquot pervetus Gloffa interlinearis. c. 3. D. 27. et ibi. Corr. Rom.

49. Enimvero existimavit Auctor, hac distinctione veteres recentioribus Canonibus esse conciliandos. *Hic distingendum est, inquit, quod voventium alii sunt simpliciter voentes, de quibus Augustinus, et Theodorus locuti sunt: alii sunt, quibus post votum benedictio accedit consecrationis, vel propositum solemne religionis, de quibus Hieronymus, Nicolaus, et Calixtus scripserunt.* Grat. ad c. 8. ibi.

50. Recentiores Decretales sententiam Gratiani passim suam fecerunt. Bonifacius VIII. diferte declarat, *illud solum votum dici debere in effectu impedimenti dirimentis solemne, quod solemnizatum est per susceptionem sacri Ordinis, aut per professionem religiosam Ordinis approbati.* c. un. de vot. et vot. Redempt. in 6.

51. Haec fere fata fuere et impedimenti dirimentis per susceptionem SS. Ordinum. Juxta Decretum Concilii Neocaeſariensis, *Presbyter si uxorem du-*

xerit, ab Ordine suo illum deponi oportet. Refert. c. 9. D. 28.

52. Novo jure Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, et Monachis — Matrimonia contrahere non licet, et contracta hujusmodi Matrimonia penitus disjungi oportet, Personis ad poenitentiam agendam redactis. c. 8. D. 27.

Trid. fest.
24. de
sacr.
Matr.
can. 9.

53. Hoc exemplo pronuntiat Concilium Tridentinum: *Siquis dixerit, Clericos in SS. Ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, Matrimonium posse contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege ecclesiastica, vel voto — anathema sit.*

Cap. 6.
De Imped.
Conf. et
Affin.

54. Ut intelligantur ea, quae de impedimento consanquinitatis, atque affinitatis Canones, vel Leges decernunt, attendi debent lineae, et gradus. Per lineam inditatur series personarum, quae sunt ejusdem conjunctionis participes. Per gradus disjungitur distantia personarum inter se conjunctarum per unum generationis processum.

55. Linea duplex est; utpote recta, et collateralis. Recta exhibet personas, quarum una ab altera mediate, vel immediate per carnalem generationem descendit. Linea collateralis continet Personas, ab uno stipite mediate, vel immediate descendentes, quarum una ab altera iuvicem non scandit. Et haec linea

nea novo jure in ordine ad computum
impedimentum est vel aequalis, vel inae-
qualis.

56. Veterim ore unus, idemque com-
putus graduum tum in linea recta,
tum in linea collaterali fuit, ut tot
numerarentur gradus, quod sunt per-
sonae communi stipite dempto. Supereft
haec regula in linea recta. Supereft et jure
civili in causa consanquinitatis. Sed novo
jure Canonum in linea collaterali frater,
et soror uno, fratribus sororisque filii secun-
do gradu computantur. c. 2. XXXV. q. 5.

57. In linea recta veteri regulae lo-
cus est, impedimentum inter eas Per-
sonas, quae sibi Parentum, Liberorum-
que loco sunt, usque in infinitum por-
rigi. Pronuntiat Catus; *Nuptiae consi-
stere non possunt inter personas, quae
in numero parentum, liberorumque
sunt, sive proximi, sive ulterioris gra-
dus sint, usque in infinitum.* Refert.
L. 53. ff. de Rit. Nupt.

58. In linea collaterali primis sae-
culis impedimentum consanquinitatis ul-
tra fraterna conjugia haud porrigebatur.
In Oriente restituit veteres fines, sub-
lato impedimento consobrinitatis, Ar-
cadius Imper. L. 19. C. de Nupt.

59. In Occidente lex Theodosii, qua
Consobrinorum nuptiae proscribuntur,
constantius viguit. Ait S. Ambrosius:
Nam Theodosius Irip. etiam patruelēs

S. Am-
brof. lib.
8. ep. 56.

fratres, et consobrinos vetuit inter se conjugii convenire nomine.

60. In regnis Occidentis circa saeculum octavum, aut nonum invaluit, quod impedimentum consanquinitatis, affinitatisque plerumque ad septimum usque gradum porrigeretur. In veteri igitur computu impedimentum ultra consobrinorum filios non protendebatur. c. 16. et passim. XXXV. q. 2. et 3.

61. Novo computu recepto in linea collaterali novas regulas instituimus; ut pote in linea aequali tanto gradu distare censemur, quanto alteruter a communī stipite distat: in linea vero inaequali tanto gradu inter se distant, quanto remotior a communi stipite distat. c. 6. etc. ibi.

62. Hac occasione indiscretius impedimentum cognationis evasit, ita, ut plurima incommoda in dies subnascerentur. Inde impedimentum consanquinitatis, et affinitatis in Concilio Lateranensi IV. ad quartum gradum refigere placuit. c. 8. de Consanq. et Affinit.

63. Superest in reliquis novi juris argumentis recentior computus graduum collateralium. Ait Gregorius IX.: *Vir, qui a stipite quarto gradu, et mulier, quae ab alio latere, novo computu distat quinto, secundum regulam approbatam, qua dicitur: quanto gradu remotior differta stipite, et a quolibet per-*

*aliam lineam descendantium ab eodem:
licite possunt matrimonialiter copulari.
Refert. c. 9. ibi.*

64. Quantum ad affinitatem et olim
impedimentum restrictius tum per Leges,
tum per Canones fuit. In linea
collaterali enim extensum haud fuit ul-
tra primum gradum; utpote uxorem
fratris, uxorisque sororem. *L. 5. C. de
Incest. Nupt.*

65. Labentibus saeculis impedimen-
tum affinitatis exemplo consanquinitatis
ad septimum gradum veteri computu ad
consobrinorum, horumque filiorum uxo-
res pretendere placuit: invaluit enim re-
gula, ut Consanquinitas, quae in proprio
viro observanda est, haec nimirum et in
uxoris parentela de lege nuptiarum cu-
stodiatur. *c. 7. et passim. XXXV. q. 2.
et 3.*

66. Hac occasione aliquando triplex
affinitatis genus invaluit. Sic uxor fra-
tris mei est mihi, consanquineisque meis
affinis primo affinitatis genere; mortuo
vero fratre meo, si illa Titio nubet,
hic mihi, consanquineisque meis affinis
censebatur in secundo affinitatis gene-
re; et rursus uxore defuncta quondam
fratris mei, si Titius nuperit Berthae,
haec me, consanquineosque meos ter-
tio affinitatis genere contingere videba-
tur. Nam copula addita copulae tam
diversa affinitatis genera juxta antiquas

Decretales producere credebatur. c. 3.
et 22. ibi.

67. Novo jure expungere secundum,
et tertium genus affinitatis placuit, quia
regula recepta est, affinitatem non pa-
rere affinitatem. Quippe Consanquinei
viri uxori tantum, et Consanquinei
uxoris viro tantum affines, et quidem
in eo gradu, in quo alterutri Consan-
quinei sunt, sunt, quia affinitatis pro-
prii gradus nulli sunt. L. 4. §. 5. ff. de
Grad. et Affinib.

68. Abhinc reduximus et impedi-
mentum affinitatis usque ad quartum
gradum. Jure Decretalium impedimen-
tum affinitatis et ex copula illicita us-
que ad quartum gradum extensum fuit.
Sed Concilium Tridentinum impedi-
mentum affinitatis ex copula illicita ad se-
cundum gradum restrinxit.

Trid. sess.
24. de
Ref.
Matr.
c. 4.
De sacr.
Matr.
can. 4.

69. In reliquis pronunciat S. Syno-
dus anathema in quemque, qui dixe-
rit, eos tantum Consanquinitatis,
et affinitatis gradus, qui Levitico ex-
primuntur, posse impedire Matrimoni-
um contrahendum, et dirimere contra-
ctum; nec posse Ecclesiam in nonnul-
lis eorum dispensare, aut constituere,
ut plures impedian, et dirimant.

Cap. 7.
De Imped.
publ.
Honest.
cognat.
leg. ac
spiritual.

70. Jure civili et intersponsum, spon-
samque quaedam affinitas ex mutua u-
nione affectus, amorisque intercedere
censetur. Placuit et eam in effectu im-

pedimenti dirimentis, in lineam ascendentem, et collateralem dividere. L. 12. et 14. ff. de Rit. Nupt.

71. Antiquae Decretales et id genus impedimenti in utraque linea ad septimum gradum usque protulerunt. Supersunt veteres auctoritates spuria in Decreto Gratiani. c. 12. et 14. XXVII.

q. 2.

72. Impedimentum, quod vocant publicae honestatis tum ex Sponsalibus tuin ex Matrimonio, antequam consumatur, nascitur. Meminit veterum legum eo effectu Zeno Imp. L. 8. C. de Inc. et inut. Nupt.

73. Novo jure pronuntiat Alexander III.: *quod Sponsam, maxime si nubili aetate sit, nullus Consanquineorum (Sponsi) sibi aliquo modo possit Matrimonio copulare.* Viguit tunc observantia impedimenti usque ad septimum, novo computu Canonum, gradum c. 8. de Spons. et Matr.

74. Reducto impedimento usque ad quartum gradum, Bonifacius VIII. declaraverat, impedimento publicae honestatis usque ad quartum gradum in Sponsalibus puris, et certis locum superesse, et si quadam ratione nulla essent, dummodo consensus defectu non laborarent. c. un. de Spons. in 6.

75. Concilium Tridentinum impedimentum in Sponsalibus de futuro, qua-

Trid. sess.
24. de Ref.
Matr. c. 3.

cunque ratione nullis, expunxit, declaravitque in reliquis Sponsalibus, et si omni jure valida essent, impedimentum ultra primum gradum haud extendi.

76. Juxta communem sententiam Interpretum veteri jure, utpote Decre-
taliū, locus supereſt pro impedimen-
to publicae honestatis, quod ex Matri-
monio rato ortum est. Nam illud usque
ad quartum gradum supereſt, quia ex
anteriore jure non plus censetur corre-
ctum, quam est recentiore jure, ut-
pote Tridentino, expressum. L. 27. C.
de Testam.

77. Censem Interpretes, nostris mo-
ribus fere in totum desiffisse impedimen-
tum vetus cognationis legalis; quando-
quidem illud genus adoptionis, si ali-
cubi supereſt, potius ad effectum suc-
cessionis, et haereditatis, quam jure
cognationis legalis, explicari solet.

78. Concilium Tridentinum forte hac
occasione hujus impedimenti non me-
minit. Meminere tamen hujus frequen-
ter tum Leges, tum et Canones. Su-
perest novo jure rescriptum Nicolai I.,
quod juxta leges vetus impedimentum
cognationis legalis explicat. c. un. de
Cognat. leg.

79. Alibi Nicolai I. Decretum piae-
cipue relucet pro impedimento cogna-
tionis spiritualis commendando. *Si ergo,*

inquit, inter eos non contrahitur Matrimonium, quos adoptatio, vel in linea recta; vel in linea obliqua, jungit; quanto potius oportet a carnali inter se contubernio cessare, quos per caeleste Sacramentum regeneratio S. Spiritus vincit etc. Refer. c. 1. XXX.

q. 3.

80. Hujus impedimenti meminit Justinianus Imp. *Cum nihil, inquit, sic inducere potest affectionem, et justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexus, per quem, Deo mediante, animae eorum copulatae sunt.* Refert. L. 26. C. de Nupt.

81. Ait Concilium Trullanum: *In nonnullis autem locis cognovimus quosdam, qui ex sancto, et salutari Baptismate infantes suscipiunt, postea quoque cum matribus eorum viduis contrahere Matrimonium. Statuimus, ut imposterum nihil fiat hujusmodi. Siqui autem post praesentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem ab illicito Matrimonio desistant: deinde et fornicatorum paenis subjiciantur.*

Conc.
Trull.
c. 53.

82. In Occidente uberior zelus propagandi id genus impedimenti affulxit. En rationes Zachariae Papae! *Cum ergo, infert, a propria consanguinitate jubemur abstinere, multo magis a spirituali nostri Patris filia, omni excu-*

satione, aut argumento seposito, sub nimia distinctione nos cavere convenit etc. Refert. c. 2. XXX. q. 3.

Capit.
lib. V. 7.

83. Hujus impedimenti et ex Confirmatione orti mentionem facit Carolus M. Imperator: *Nullus proprium filium, aut filiam de fonte baptismatis suscipiat: nec filiam, vel commatrem ducat in uxorem, nec illam, cuius filium, vel filiam ad Confirmationem tenuerit: ubi autem factum fuerit, separentur.*

84. Abhinc praejudicio antiquarum Decretalium triplex genus Cognationis spiritualis aliquamdiu viguit. Quippe exemplo adoptionis eam in Paternitatem, Compaternitatem, et Confraternitatem, quam inde in directam, et indirectam subdivisimus, scindere placuit. c. 1. et XXX. q. 1.

85. Novo jure rescripsit Alexander III., Matrimonium esse eorum nullum, qui per cognationem spiritualem ad Compaternitatem pervenerunt. c. 1. de Cognat. spirit. Innocentius III. mandavit separari personas; quae ex Confraternitate spirituali conjunctae apparuerunt, licet plurimis annis jam convixissent. c. 7. ibi.

Trid. tiff.
24. de Ref.
Matr. c. 2.

86. Concilium Tridentinum expunctis Compaternitatis, et Paternitatis indirectae nec non ambabus Confraternitatis speciebus impedimentum ad levan-

tem, levatum, levatique Parentes etc.
restrinxit.

87. Hinc Pius V. declaravit, infis-
tendum esse verbis Decreti Tridentini, ut
inter reliquas personas, quae a Conci-
lio diserte expressae non sunt, libere,
ac licite, veluti abolito impedimento,
Matrimonium contrahi possit, nisi aliud
obsistat impedimentum. *L. VII. ibi. De-
cret. c. 3. de Consang.*

88. Superest aliud impedimentum ex
crimine adulterii. Colligitur ex veteri-
bus legibus, adulteram, si damnata fu-
isset, aut per prodictionem judicum ab-
solutionem obtinuisse, Matrimonium
cum adultero nequaquam contrahere po-
tuisse. *L. 11. §. 11. et L. 40. ff. ad L.
J. de Adult. Nov. 134. c. 12.*

89. Ait B. Augustinus: *Denique mor-
tua viro, cum quo verum connubium
fuit, fieri verum connubium non potest;
cum quo praecepsit adulterium. Quippe
hanc lectionem restituunt Critici. c. 2.
XXXI. q. 1. et ibi Corr. Rom.*

90. In nonnullis regnis inolevit, quod
nonnullis criminibus; v. g. incestui,
adulterio, conjugicidio perpetua poeni-
tentia, sublata omni spe cujuscunque
conjugii, indiceretur. Statuit Carol. M.
*Ille vir, vel illa faemina, quae adul-
terium perpetraverunt, interim, quoad
vivunt, nunquam amplius habeant
conjugium.*

Cap. 8.
Delimped.
crim.

Capit.
lib. V. 19.

91. Juxta Decretum Concilii Mel-densis *siquis vivente marito conjugem illius adulterasse accusetur, et eo in proximo defuncto, eandem sumpsiſſe di-gnoscatur, omnimodis publicae poenitentiae* (sublata omni spe conjugii, nisi dispensationem meruerit) *subjiciatur — quod si probatum fuerit, ab adulteris et legitimum conjugem esse occisum, sine ulla spe conjugii cuiuscun-que maneant indisponsabiliter perpetuo cum poenitentia.* Refert. c. 5. XXXI. q. 1.

92. Inter ea tempora Concilium Tri-buriense decretorie pronuntiat, *ut nullus ducat in Matrimonium, quam prius polluit adulterio.* Gratianus id Decretum Leoni inscribit perperam, si fides est Boehmico. c. 1. ibi. ex edit. Boehm.

93. Quum Concilio Triburiensi de-nuntiatum fuisset, quemdam alterius uxorem stupro violasse, et insuper Mae-chae, vivente viro legitimo, jurato fi-dem dedisse, quod post legitimi viri ob-itum, si supervixisset, duceret uxori-rem, ajunt Patres: *Tale ergo connubium prohibemus, et anathematiza-mus.* Refert. c. 4. ibi.

94. Hoc exemplo et Concilium Al-theimense decernit, *ut, siquis cum u-xore alterius, eo vivente, fornicatus fuerit, moriente marito, ei synodali judicio claudatur aditus illicitus, ne*

ulterius ei conjugatur Matrimonio, quam prius polluit adulterio. Ita utrumque Concilium ea occasione a veteri disciplina, nisi forte, quod remissa censura, quae omnem spem cujuscunque conjugii aliquando ademit, singulariter ad adulteros, conjugicidasque invicem impedimentum restrinxerit, nihil abiit. *c. 3. ibi.*

95. Gratianus ergo suo ingenio id indulxit, ut impedimentum adulterii, conjugieidiique ad complicem illa conditione restringeret, si sibi futuri Matrimonii mutuo fidem dedissent. *Grat. ad c. 3. ibi.*

96. Cum autem circa saeculum 12. et 13. auctoritas Decreti Gratiani ita invaluisse, ut vix aliunde, quam ex illo, desumerentur, quae quaestioneibus disciplinae decidendis servire possent, tandem pro jure invaluit haec Gratiani restrictio, si nimirum adulterium sub spe futuri Matrimonii commissum fuerit, aut si insidiae ea fide in vitam legitimi conjugis paratae effective fuerint. *c. 5. de eo, qui dux. in Matr. quam poll.*

97. Enimvero Innocentius inde adulterum, et adulteram ab impedimento invicem absolvit, si nec fidem futuri Matrimonii invicem dedissent, nec in mortem defuncti conjugis conspirassent. *c. 6 ibi.*

98. Quid ergo, si mulier conditionem adulteri, cum quo aut peccavit, aut et Matrimonium celebravit, tunc ignoravit? Absit, ut impedimento locus quisquam sit. Quippe ad effectum impedimenti oportet adulterium esse ex utraque parte formale. c. 1. et 7. d. t.

Cap. 9.
Delimped.
disp. cult.

99. Consuetudo impedimentum sparilis cultus ad baptizatum, et non baptizatum, etsi catechumenus sit, reduxit: quippe novo jure non dubium est, eam esse et consuetudinis vim, quod impedimentum parere, interpretari, minuereque possit. arg. c. 1. de Cogn. spir.

II. Cor. 6.

100. Vetat S. Paulus, *jugum ducere cum infidelibus*. Quae enim participatio justitiae cum iniquitate? Aut quae societas luci ad tenebras? quae autem conventio Christi ad Belial? aut quae pars fidei cum infideli. Supererant tamen in veteri Gentilismo frequentiora connubia Christianorum cum Ethniciis.

101. Christiani Principes Christianos Judaeis nubere prohibuerunt. Ait Theodosius Imp.: *Ne quis Iudeus christianam mulierem in Matrimonium accipiat; neque Iudeae Christianus conjugium sortiatur*. Nam, si quis aliquid hujusmodi commiserit, adulterii vicem admissi hujusmodi crimen obtinebit. Refert. L. 6. C. de Iudee.

102. Refert Gratianus Decretum Concilii Urbanensis (Avernensis rectius dixisset) eo tenore: *Siquis Iudaicae pravitati conjugali societate jungitur; sive Christiana Iudaeo, sive Iudaea Christiano carnali consortio misceatur: quicunque tantum nefas admisisse cognoscitur, a christiano caetu, atque convivio, et a communione Ecclesiae protinus segregetur.* Refert. c. 17. XXVIII. q. 1.

103. Nostris saeculis, nostrisque regnis nullus, vel rarus hujus impedimenti usus supereft. Frequentior, et salubrior eorum Canonum observantia reducenda est, qui vident Catholicos haereticis nubere. Inquit Synodus Agathensis: *Non oportet cum hominibus haereticis miscere connubia.* Supereft c. 16. ibi.

104. In Oriente haeresis impedimentum dirimens censetur. Decernit Concilium Trullanum: *Non licere virum orthodoxum cum muliere haeretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro haeretico copulari: sed, et siquid hujusmodi a quoquam factum apparuerit, nuptias irritas existimare, et nefarium conjugium dissolvi.* Neque enim ea, quae non sunt miscenda, misceri, nec ovem cum lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte conjungi oportet.

Cone.
Trull.
c. 22.

105. Ajunt et in Gallia, Matrimonium, quod Catholicus contrahit, cum haeretica, per Edictum Regium Ludovici XIV. de Anno 1680. nullum esse. *Declarant, inquit Rex, tels Mariages, non valablement contractes.* Quod intellegi debet de haereticis notorie declaratis.

106. In reliquis Occidentis Provinciis justus locus supereft veteribus censuris, et rationibus, ut Catholici a nuptiis haereticorum tum ob periculum seductionis, tum ob alia incommoda abstrahantur, absterreanturque. Episcopus Castoriensis, per Provincias faederatas Belgii Vicarius Apostolicus hoc edidit recentius Decretum: *Prohibemus sub paena suspensionis ab officio Missionis omnibus Missionariis, ne quis personas, quarum altera est Acatholica, nobis inconsultis, et sine speciale nostro consensu, praesumat conjungere.*

Cap. 10.
De Imped. met.

107. Novae Decretales in effectu impediamenti dirimentis saepius meminere metus. Qui, si gravis sit, et injustus, ipso jure (naturae ajunt) Matrimonium nullum reddit, cum Matrimonia, ut pote ex suo genere pacta mutui amoris, et ardenteris dilectionis, libera esse debeant. c. 17. *de Spons.*

108. Juxta interpretum sententiam id non refert, an ab altero contrahentium an a tertio vis injuste illata sit?

Olim ab injusta vi nec imperium excusabatur, quod par praceptionem regiam conjugem fortiri liceret. Juxta Decretum Concilii Aurelianensis IV. Nullus per imperium potestatis, veluti vim, filiam competere audeat alienam, ne conjugium, quod contra voluntatem parentum impie contrahitur, veluti captivitas judicetur.

Cont.
Aurel.
IV. c. 22.

109. Sed quid? An metum incussum esse oportet directe in finem Matrimonii extorquendi? Licet dubitare per exemplum, et argumentum, quod Alexander III. mulierem a Professione religiosa ob vim illatam ablolverit, et si metus mortis alio fine immineret. c. 1. de his, quae vi, metusve caus.

110. Reliquum est, ut Parochi sollicite tum in actu conjunctionis, tum data occasione alias sciscitentur a partibus, an omnis metus abeffet? Commendat id genus examinis Synodus Mechliniensis: Quia inquit, coacte nuptiae tristem plerumque et luctuosum exitum habent, diligenter inquirant Pastores, an Matrimonium contracturi sponte, et a nimo deliberato, non vi, aut metu Parentum, amicorum, aut aliorum coacti ad Matrimonium procedant. Quod si invenerint, aliquem, vel aliquam ex contrahentibus coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant.

Synod.
Mechl.
P. I. de
Spons.
c. 2.

Cap. II. **III.** Impedimentum raptus novo jure
De Imped. fere ab impedimento metus nihil distare
Rapt. videbatur. Quippe vitium, et impedimentum sublatum censebatur, si puella raptori libere consensisset. Sic decidit Papa: raptam puellam legitime cum raptore contrahere, si prior dissensio postmodum transeat in consensum. *c. 7. de Rapt.*

112. Veteri jure tum Reipublicae, tum Ecclesiae duplex genus raptus, utpote violentiae, et seductionis spectatur. Contra utrumlibet raptum plures poenae per leges Romanas fuerunt decretae. Sic Constantinus M. raptore, tum eos, qui virgines invitas invadunt, tum illos, qui consentientes filias invitatis parentibus tenent, igni addixit. *L. I. C. Th. de Rapt. Virg.*

113. Statuit Justinianus Imp.: *Nec sit facultas raptae Virgini, vel viduae, vel cuiilibet mulieri raptorem suum sibi maritum exposcere: sed cui Parentes voluerint (excepto raptore) eam legitimo copulent Matrimonio: quoniam nullo modo, nulloque tempore datur a nostra Serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in Republica Matrimonia sibi student conjungere.* *Ref. L. un. C. de Rapt. Virg.*

Capit. lib. **114.** Hoc exemplo et Capitularia Regum Francorum decernunt: *Siquis alterius sponsam, virginem, aut viduam nec-*
6. c. 96.

necdum despontatam rapuerit, vel furatus fuerit, placuit, ut, sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non; sive cum Parentum ejus voluntate quocunque commento ipsam accipere, vel tenere potuerit, nunquam illam uxorem habeat: sed raptori, aut fueri auferatur, et proximis suis, alii viro tempore congruo, si ipsa in hoc malum non consenserit, nuptura, legibusque acceptura, reddatur.

115. En disertius Decretum! Placuit, Lib. 7. c.
ut hi, qui rapiunt faeminas, vel furantur, aut seducunt, ut eas nullatenus habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dota-
verint, vel nuptialiter cum consensu Parentum suorum acceperint. Gratianus id Decretum Concilio Aquisgra-
nensi inscripsit. c. 11 XXXVI. q. 2. et ibi Corr. Rom.

116. Ex hoc, aliisque nonnullis Ca-
nonibus saeculo septimo, et sequenti-
bus editis concludunt nonnulli, raptum
fuisse saltem in quibusdam Ecclesiis im-
pedimentum dirimens perpetuum inter
raptorem, et raptam. Pronuntiat quo-
que Gregorius II. in Synodo Romana:
Siquis Virginem, aut viduam, nisi sibi despontatam, rapuerit, aut furatus fuerit in uxorem, cum faventibus sibi, anathema sit.

117. Novo jure remissa censura legitimum existimatum fuit Matrimonium, si filia rapta aliquando consensisset, quia ut ait Glossa, quando consensit, qualitercunque aliqua rapta sit, ratihabuit Matrimonium. c. 6. *de Rapt.*

Trid. sicc.
24. de Ref.
Matr. c. 6.
118. Auētis corruptelis Concilium Tridentinum, instauratis censuris, et paenit, Matrimonium dirimens inter raptorem, et raptam promulgavit *quousque rapta in raptoris potestate constitit*, et si eo tempore puella raptori consentiret in Matrimonium.

119. Quum Synodus relinquat Matrimonium raptori cum rapta, si, locuto, ae libero, extra potestatem raptoris posita, consentiri velit, interpretatio in plerisque Provinciis invaluit, Decretum Tridentinum ad raptum violentiae restringi, quo ipsa cum renisu, et violentia in potestatem raptoris causa contrahendi Matrimonii venit.

Edict.
Bless.
art. 40.
120. In Gallia tamen ex usu Ecclesiae Gallicanae et raptus seductionis in effectu impedimenti dirimentis obtinet. Spectat hic minores, sub aliena potestate; v. g. patria, aut curatoria personas constitutas, ut insciis, aut invitis parentibus, tutoribus, et curatoribus numerare vetentur. Seductio enim ultra annum 25 nec in Gallia in effectu impedimenti dirimentis locum habet.

* 121. Ambae ergo potestates ecclesiastica, et civilis circa Matrimonia decreverunt, quod earum quaelibet afferendo fini suo competere, et intra forum suum contineri putabat. Leges civiles statuebant paenas in contrahentes contra prohibitionem ab iis factam. Ait S. Ambrosius: *Theodosius Imp. etiam patruelēs fratres, et consobrinos vetuit inter se convenire conjugii nomine, et severissimam paenam statuit, si quis temerare ausus esset fratrum pignora.* Juxta S. Augustinum: *id nec lex divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana. Verum quis dubitat, honestius hoc tempore per legem consobrinorum prohibita esse conjugia?* Quid clarius verbis Concilii Turonensis II.? Ait *sacra sententia legum, quae in hac explanatione omni homini tam docto, quam indocto aperta est, ut, quisquis aut sororis, aut fratri filiam, aut certo gradu consobrinam, aut fratri uxorem sceleratis sibi nuptiis junxerit, huic paenae subjaceat, ut de tali consortio separetur.* En et Decretum Calixti II. in Concilio Lateranensi I: *Eos autem, inquit, consanguineos, in effectu impedimenti dirimentis, dicimus, quos divinae et Imperatorum, ac Romanorum, atque Graecorum LEGES consanguineos appellant.* Refert. c. 2. XXXV. q. 2. et 3.

S. Ambr.
lib. 3.
Epist. 66.

S. Aug.
de civit.
Dei lib.
15. c. 16.

Conc.
Tur. II.
c. 21.

TITVLVS. XIV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

CAPVT I.

De jure et usu Dispensationum Matrimonialium.

Paschal,
II. ep. 42. 1. In his, quae Juris humani sunt, nonnunquam auctoritates eorum, qui legem tulerunt, justis ex causis dispensare possunt, adeo: ut juxta Paschalem
II. in ep. 42. ad S. Anselmum Cantuariensem *hic dispensationis modus, sicut B. Cyrillus in epistola Ephesinae Synodi loquitur, nulli unquam sapientum displicuerit.* Novimus sanctos Patres nostros, et ipsos Apostolos pro temporum articulis, et qualitatibus personarum dispensationibus usos. Refert diversa exempla Gratianus. *caus. 1. q. 7.* Unde cum ex titulo priori constet, plura Matrimonii impedimenta hodie esse, et jam pridem fuisse solo humano jure inducta: possunt ergo eadem auctoritate, qua constituta sunt, vel generaliter tolli, vel in particularibus circumstantiis suspendi, adeo, ut Matrimonium non obstante ejusmodi impedimento licite, et valide contrahi queat.

2. Hinc licet inter Tutorem, et pupillam Romano jure vetitae essent nuptiae *tit. cod. de interdict. Matrim. inter-*

Pupillam et Tutorem: poterant tamen per dispensationem iniri *l. penult. cod. d. t.* Sic quoque per legem Theodosianam inter consobrinos vetitae erant nuptiae; eas tamen impetrari potuisse rescripto Principis ostendit *lex unica cod. Theodos.* si *nuptiae ex rescripto petantur.* Gothofredus ad dictam legem notat, S. Ambrosium ep. 66. sat testari, hujusmodi dispensationem a Principe impetrari potuisse.

3. Nemo ergo Ecclesiae deneget auctoritatem, sicut instituendi dirimentia Matrimonii impedimenta, ita in iis dispensandi, unde merito Synodus Tridentina anathemate percellit eos, qui aut hanc, aut illam potestatem Ecclesiae abjudicant.

4. Olim Ecclesia paree admodum in his impedimentis dispensabat, atque plerumque illius dispensationes referebantur ad Matrimonium sequius jam contractum. Ajunt Patres Concilii Aurelianensis III. *His, qui nunc ad Baptismum veniunt, aut quibus Patrum Statuta sacerdotali praedicatione antea in notitiam non venerunt, ita pro novitate conversionis suae, ac fidei credimus consulendum, ut CONTRACTA hujusmodi conjugia non solvantur, sed in futurum, quod de incaestis conjunctiōnibus in anterioribus Canonibns interdictum est, observetur.*

5. Recentioriaevo successerunt dispensationes ad Matrimonium solutis legibus *contrahendum*. Causa publica, ut bella inter Othonem IV., et Philippum pro Germanico Imperio decertantium exorta penitus, soparentur Innocentio III. persuasit, ut inter eundem Othonem, et Beatricem Philippi filiam in quarto Consanquinitatis gradu (juxta veterum computum septimo) dispensaret.

6. Labentibus saeculis invaluerunt dispensationes minus discretae. Hac occasione praecipit Concilium Tridentinum.
Trid. sess. 24. de Ref. Matr. c. 6. *In CONTRAHENDIS Matrimonii vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa et gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispenseatur, nisi inter magnos Principes, et ob publicam causam.*

7. Quid ergo de dispensationibus pro contracto Matrimonio? *Siquis, inquit, intra gradus prohibitos scienter Matrimonium contrahere praeumpsferit, separetur, et spe dispensationis consequendae careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum Matrimonium contrahere, sed etiam consumare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur paenit. Non enim dignus est,*

qui Ecclesiae benignitatem facile experietur, cuius salubria paecepta temere contempsit. Si vero solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cuius ille probabilem ignorantiam habuit, tunc facilius cum eo, et gratis dispensari poterit.

8. Ex his elucet, raro, praesertim super Matrimoniis contrahendis, dispensandum esse, et semper ex justa ratione, et causa cognita. Hinc ex mente Synodi etiam quoad ejusmodi dispensationes servanda est regula, quam eadem Synodus postmodum expressit his verbis: *Sciant universi sacratissimos Canones exacte ab omnibus, et quoad fieri poterit, indistincte observandos. Quodsi urgens; justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverit, ut cum aliquibus dispensandum esset, id causa cognita, ac summa maturitate, atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Trid. sess.
25 c. 18.

9. Nec per Canones, nec per Decretales Gregorii IX. neque per aliud Decretum generale determinatur, quod super Matrimonii impedimentis dispensandi auctoritas sit Episcopis adempta, et Pontifici soli reservata: invaluit tamen consuetudo, et moderna habet di-

sciplina, ut; si agatur de impedimentis dirimentibus, et de Matrimonio contrahendo cum tali impedimento, soli Pontifici dispensatio competit.

10. Supereft tamen alicubi nostris moribus usus, quod et Episcopi in remotioribus gradibus dispensandi veteri jure, vel privilegio fruantur. Consuetudo invaluit frequentior, et amplior, quod Episcopi facultate dispensandi gaudent pro Matrimonio contracto, si Matrimonium istud sit publicum: impedimentum vero occultum, et si sit scandalum in separatione, neque ad Pontificem pateat aditus, inopia, aut alia iusta causa impediente: censetur enim reservatio cessare ob has causas. Sunt, qui putent, reservationem dispensationis generaliter cessare in impedimentis impedientibus, si sponsalia cum tertia Persona inita, et votum perpetuae castitatis exceperis.

Cap. 2.
De Exped.
ped. Rom.
Dispens.

11. *Olim dispensationes matrimoniales in Romana Curia causae cognitione, narratorumque verificatione praecedente in forma gratiofa, ut plurimum, concedebantur, et quidem ut rarius, ita et tutior erat illarum usus.*
Sic scribit Pyrrhus Corradus, qui his subjungit: *Ast quoniam difficile, valde que incommodum id comperiebatur, optima profecto ratione ita sacri Canones sancivere, ut omnes dispensa-*

Pyrr.
Corr:
lib. 7.
Praen.
disp. c. I.
v. I.

tiones extra ipsam Curiam committantur Ordinariis locorum in forma communis, sive commissoria dirigerentur, qui nonnisi causis in partibus verificatis tum demum Apostolica auctoritate dispensarent.

12. Per Canones, qui dispensationes matrimoniales in forma commissoria fieri praecipiunt, intelligitur Decretum Concilii Tridentini, quo sancitum est, ut *dispensationes — si extra Curiam Romanam committendae erunt, committantur Ordinariis illorum, qui eos impetraverint: Eae vero, quae gratiōe conceduntur, suum non sortiantur effectum, nisi prius ab eisdem tanquam Delegatis Apostolicis summarie tantum, et extrajudicialiter cognoscatur expressas preces subreptionis, vel obreptionis vitio non subcere.*

13. Conformiter ad hoc Decretum ex moderno stylo Curiae Romanae dispensationes matrimoniales sive in Dataria, sive in Poenitentiaria petantur, tantum concedi solent in forma *commissoria*, sic nuncupata, eoquod dispensandi auctoritas alteri committatur auctoritate Apostolica, idque sub certis conditionibus: ideo, uti recte monet Corradus l. c. falluntur Commissarii, sive Ordinarii, quibus Bullae, seu litterae dispensationum mittuntur, dum tantae

*rei pondus non aestimantes, exposita
(per Oratores) qua par est diligentia,
veritate niti negligunt edoceri, Pon-
tificem dispensasse contenti: cum reve-
ra non dispensaverit, sed ipsis dispen-
sandi auctoritatem certis sub condi-
tionibus demandaverit, que nisi, ut
jubetur, impletæ fuerint, quidquid
superstruxerint, corruet.*

14. In stylo hodierno Curiae litterae
dispensationum, quae a Dataria pro-
utroque foro conceduntur, diriguntur
ad Ordinarium, id est, ad Episcopum,
aut ejus Vicarium Generalem. Ita enim
usus habet, quod hæ litteræ nunquam
Episcopo, et ejus Vicario in simul, aut
alternative, Episcopo, sive ejus Vica-
rio, sed uni tantum eorum determina-
te committantur; et quidem praeterito
alterutrius nomine; ut delegatio digni-
tati potius, quam personæ facta cen-
seatur. Sede vacante litteræ inscribun-
tur viciniori Episcopo, aut ejus Vicario,
ut Capitulum, ejusque Vicarius in ea
causa nihil auctoritatis sibi arrogare
queat. Si supplicantes diversarum Dia-
cesium sint, utraque Diaecesis in sup-
plica exprimenda est; litteræ autem
diriguntur ad Ordinarium Oratricis.

15. Dispensationes Poenitentiariae;
utpote quae pro foro conscientiae tan-
tum expediuntur, solent dirigi ad Con-
fessarium, ex approbatis ab Ordinario,

ab Oratore eligendum, qui sit in Theologia Magister, aut Doctor Decreto-
rum.

16. Romanae litterae tribus partibus
constant, quarum prima exhibet man-
datum dispensandi auctoritate Aposto-
lica super impedimentum. Altera pars
narrativa vocatur, quia in ea expri-
muntur, quae a supplicantibus Pontifici
fuerunt exposita. Tertia pars dicitur di-
spositiva, quae continet gratiam Ponti-
ficis, conditionesque in executione hu-
jus gratiae, a Commissario observandas.

17. Primo ergo Commissario (de quo,
ait, in his speciale in Domino fidu-
ciam obtinemus) Papa per Apostolica
scripta mandat: *Quatenus deposita —*
omni spe cuiuscunque muneric, aut
praemii, etiam sponte oblati; a quo
abstinere omnino debere monemus, te
de praemissis diligenter informes; et,
si per informationem eandem preces
veritate nisi reperies, super quo tuam
conscientiam oneramus, tunc cum eis-
dem — auctoritate nostra dispenses etc.
Volumus autem, quod spreta nostra
admonitione hujusmodi, si aliquid
muneric, aut praemii occasione dictae
dispensationis, exigere, aut oblatum
temere recipere praesumpseris, excom-
municationis latue sententiae paenam
incurras.

Cap. 3.
De for-
mul. di-
spens.

18. Ecce! his litteris Commissario diligens informatio *de praemissis* commendatur, tum circa impedimenta proposita, tum circa causam dispensationis praetensam, nam rescriptum vitio laborat, nisi preces veritate nitantur. c. 2.
de Rescript.

19. In tam diligent informatione saepe opus est testibus. In litteris dispensationum primus hic articulus est: *Moneatur testis de gravitate juramenti de veritate dicenda, in hoc praeferit negotio pertimescendo, in quo divina simul, ac humana Majestas laeditur, ob rei, de qua tractatur, importatiam et gravitatem.* Nam dispensationes matrimoniales censemur caeteris graviores. Si ergo aliquando opus est, ut examen testium subdelegetur, id nonnisi viro integerrimae fidei, et bonitatis relinquendum est.

20. Maximi momenti est inquirere, num preces Oratorum in supplica Pontifici oblata nitantur veritate; id est, an expressio impedimentorum, super quibus dispensatio petitur, et causa, ob quam petitur, sint secundum veritatem expressa. Hinc si supplicantes exprefserint tertium gradum Consanquinitatis, qui se contingunt secundo, Comissarius haud procedere poterit ad dispensationem, quia preces veritate non nitun-

tur, et si partes inculpabiliter ignoras-
sent subesse secundum gradum.

21. Quinimo quamvis impedimentum
expressum sit gravius eo, quod subest,
sed expressum non fuit, rescriptum suo
carebit effectu, si impedimentum diver-
sae sit speciei. Sic si expressus sit tertius
gradus Consanquinitatis pro tertio gra-
du affinitatis, subreptitia censetur di-
spensatio.

22. Si Oratores simpliciter expresse-
rint secundum, aut tertium Consanqui-
nitatis gradum, subreptitia censebitur
dispensatio, si deprehenditur, impedi-
mentum illud provenire ex diversis sti-
pitibus; sive quod se contingat in gra-
du expresso ratione duplicitis conjunctio-
nis; Quippe in effectu duplex est im-
pedimentum, quod tamen velut sim-
plex est expressum.

23. Si per errorem expressus sit se-
cundus gradus Consanquinitatis pro ter-
tio, non excusatur rescriptum a vito,
quia in stylo Curiae dispensationes in
gradibus proximioribus aliter expediun-
tur, quam in remotioribus. Proximio-
res enim per Praefecturam Brevium sub
annulo Piscatoris expediuntur, dum a
liae in gradibus remotioribus remittun-
tur ad Cancellariam. Quum ergo mens
ea sit Pontificis, ut litterae dispensatio-
nis non aliter, quam per illos diversos
Officiales, et distincta Collegia expe-

diantur, litterae ipsae suspectae appa-
rent, quae a recepto stylo alienae ap-
parent.

24. Stylo Curiae et receptum est,
quod rescriptum vitio laborare censem-
tur, si, dum se contingunt in primo,
et secundo gradu, secundus simpliciter
expressus fuisset: *Cum in eo, utpo-*
te primo, Sanctitas sua nunquam
dispensare intendat. In reliquis vali-
dum habetur Matrimonium, contractum
in vim dispensationis, in qua proximior
gradus non est expressus (modo non sit
primus) et si litterae declaratoriae; qua-
rum meminit Pius V., non fuerint ob-
tentae.

25. Si duo intercedant impedimenta,
quorum postulata sit dispensatio, sed se-
paratim, ac diverso tempore: utraque
dispensatio erit subreptitia: eoquod u-
traque dispensatio fuerit obtenta, ae si
unum duntaxat impedimentum subeffet;
cum tamen duplex subeffet. Duo autem
impedimenta simul occurrentia fortius
ligant, et difficilius dissolvuntur.

26. In Cognitione spirituali oportet
et radicem exponere. Si enim subest Fi-
liatio, seu quod Oratorum unus ab al-
tero sit ex S. Fonte levatus, subrepti-
tia censetur dispensatio, si tantum Com-
paternitas fuisset expressa; eoquod im-
pedimentum ex filiatione procedens sit
aliud, quam proveniens ex Compater-

nitate: multoque difficultius in illo, quam in hoc dispensetur.

27. Si inter Consanquineos, affinesque, vel etiam conjunctos spirituali cognatione copula intercesserit, ea necessario erit exprimenda; alias ea omissa, dispensatio censetur subreptitia; idque etiam sibi locum vindicat, quamvis copula predicta post litteras dispensationis obtentas, sed nondum a Delegato executioni mandatas, habita fuerit. Eo ergo casu opus est litteris in forma *perinde valere*, priusquam ad executionem priorum litterarum Delegatus procedere queat.

28. Quum oporteat preces in causa, ex qua petitur dispensatio, veritate nisi, praestat, frequentiores formulas, pro quibus in stylo Curiae dispensationes concedi solent, exhibere. Hincenim illae causae a variis Congregationibus peculiaribus formulis sunt instructae, quia non aliae praeter probatas, nec alio tenore, quam sub concepta formula, a Curia Romana admitti solent.

Cap. 4.
De Caus.
Dispens.

29. Harum prima, ob quam concedi dispensatio praefertim in gradibus remotioribus Consanquinitatis, affinitatisque consuevit, est *ob angustiam loci*. Exprimitur haec causa sub hac formula: *Quod, cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem*

paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, cupiunt etc. Si sint consanguinei in gradibus proximioribus, v. g. secundo, et tertio, superior formula non sufficit, sed tunc post verba: *invenire nequeat*, sequens clausula ad-denda est: *Et, si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non essent competens, neque sufficiens, ut cum ea virum - cui juxta status sui conditionem nubere possit, invenire valeret.*

30. Altera causa dicitur *ob incompetentiā dotis*, quae hac formula exponenda est; *Quod, cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel a finem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; et dictus Orator illam cum minus competente dote, UXOREM DUCERE intendat, cupiunt etc.* Interdum post illa verba: *uxorem ducere illa clausula adjicitur: Illiusque dotem, usque ad quantitatem, secundum dictae Oratricis qualitatem, competenter augere intendat.* Unde audit haec causa sic expressa: *Propter dotem cum augmento.* Et requiritur hoc augmentum, ut obtineatur dispensatio in gradibus proximioribus; puta in secundo, et tertio tantum: *etiam si hujusmodi*

modi gradus duplicantur ex diversis stipitibus. Subinde intitulatur haec causa; *Pro indotata*; quando Oratrix dicitur indotata; et dicitur, quod Orator eam sic *indotatam ducere*; ac usque ad quantitatem, secundum dictae Oratricis qualitatem ex integro dotare intendat. Non tamen poterit Commillarius vigore litterarum cum causis sic ex preiis dispensare, nisi prius re ipsa Oratrix ex integro dotetur, si sit *pro indotata*; vel dos augeatur, si fuerit *propter dotem cum augmento*. Solet enim in litteris subjici: *Et postquam dictae Oratricis dos competenter aucta fuerit*: vel in causa pro indotata: *Postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit*, ut praefertur.

31. Tertia causa est *pro Oratrice excedente 24 aetatis annum*. Haec eo tenore proponitur, quod dicta Oratrix, *vigesimum quartum annum*, et ultra suae aetatis agens, *haec tenus virum paris conditionis*, cui nubere possit, *non inveniat*, cupiunt etc. Haec pas sim admittitur pro dispensatione in quibusunque; nec tamen sufficit super aliquo ex proximioribus, nimirum secundo, vel primo: In reliquis eo magis admittitur, quo magis tempus effluxit ab aetate Oratricis ad contrahendum Matrimonium. Non tamen ad-

mittitur in vidua muliere, quae ad secundas nuptias transire velit.

32. Quarta causa vulgo pro Belgis exprimitur his verbis: *Quod, cum dicti Oratores orthodoxae fidei Cultores existant: ac Deo dante, sub obedientia S. R. E. vivere, et mori intendant, et in illis partibus, in quibus multi haeretici sunt, non possunt animos singularum explorare, et, qui Catholicae religionem vere profitentur, internoscere: ac propterea, ne contingat eos cum haereticis Matrimonium contrahere, cupiunt etc.*

33. Si inter Consanguineos intercessit copula, vel familiarior conversatio, supplica eo tenore concipi solet. Exponunt N. et N. — *quod ipsis alias scientibus, se tertio Consanquinitatis gradu invicem esse coniunctos, Orator praedictus, non quidem peccandi data opera, ut criminis admisso, haec causa foret, S. V. et Sedem Apostolicam ad misericordiam, et gratiam erga ipsos faciliiores reddendi; sed solum vesana libidine vinctus, Oratricem cognovit. Cum autem P. S., nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, et inupta remaneret, graviaque scandala exinde possent verisimiliter oriri, cupiunt etc. Hinc ex usitato stylo in litteris subjicitur cautela: Et recepto ab*

*iis (Oratoribus) juramento, quod sub
spe facilius habenda dispensationis
incestum hunc non commiserint.*

34. Pro dispensatione super voto ca-
stitatis causa solet hac formula exprimi:
quod Orator (postquam serio occasio-
nes peccandi vitavit; jejunia, aliasque
castigationes, et mortificationes ex
praecripto pii, ac docti Confessarii ad-
hibuit) *ita stimulis carnis agitetur, ut*
continentiam servare posse non speret;
ac propterea Matrimonium contrahere
desideret. Rescribit Papa: *Ut si ei (Com-*
missario) de praedictis constet, votum
praedictum Oratori ad hoc, ut Ma-
trimonium semel duntaxat legitime con-
trahere possit, in frequentiam Confes-
sionis Sacramentalis peccatorum suo-
rum, singulis scilicet mensibus semel,
vel quoties tibi videbitur, ac in alia
poenitentiae opera per te injungenda,
inter quae sint etiam aliqua, quae
quotidie facere teneatur, ad eum fi-
nem, ut ea adimplens meminisse sem-
per possit obligationis, qua hujusmo-
dii voto adstringebatur, prout secun-
dum Deum ipsius animae salut expe-
dire judicaveris, secumque desuper di-
cum votum, dispensando, dicta au-
ctoritate commutes. Subjicitur clausu-
la; *quod, si dictus Orator mulieri,*
cum qua contrahet, consumato Ma-
trimonio supervixerit, maneat postea

caelebs, et eodem voto ut prius, obligatus. Reliquis sensus harum formula-
rum ex illis, qui peritiores sunt styli Curiae, est addiscendus.

Cap. 5.
De Di-
spens. su-
per Con-
tract. Matr.

Trid. fest.
24. de
fact. Matr.
cap. 5.

Supr.

Ibi.

35. Supersunt formulae super Matrimonio cum impedimento dirimenter contraacto. Et quidem necessario exprimendum est in supplica, si scienter cum impedimento fuerit contractum, quia haec scientia difficiliorem reddit dispensationem. Juxta Tridentinum Decretum *si quis intra gradus prohibitos SCIENTER Matrimonium contrahere praesumpserit, separetur, et spe careat dispensationis consequendae.*

36. Si insuper Matrimonium consumatum fuerit, id multo magis specificie exprimendum est. Ait Tridentina Synodus: *Idque in eo multo magis locum habet, qui non tantum contrahe-re, sed etiam scienter consumare au-sus fuerit.*

37. Si Matrimonium quidem per ignorantiam impedimenti contractum fuerit, sed omissis solemnitatibus praescriptis; v. g. neglectis denuntiationibus; perinde habetur, ac si scienter contraxisset. *Non enim dignus est, inquit S. Synodus, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praecepta temere contempserit.* Et vero si de licentia Ordinarii praeviae proclamationes

sint omissae, nihilominus et id juxta stylum Curiae est exprimendum.

38. Juxta stylum Curiae si Matrimonium ignoranter contractum, ante detectum impedimentum consumatum fuerit, oportet eam consumptionem exprimere. Si, deterto impedimento, in usu Matrimonii persistent, multo magis specificie id exponendum est. Causa ordinaria dispensationis super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto solet hac formula exhiberi: *Cum autem, si divortium inter eos fuerit, gravia exinde scandala possint verisimiliter oriri.*

39. Declaravit Paulus IV., hanc solam causam praetensi scandali haud sufficere pro impetranda dispensatione cum eis, qui scienter Matrimonium contrixerunt, et consumarunt cum impedimento in secundo Consanquinitatis, aut affinitatis gradu. *Absolutiones*, inquit, et *Dispensationes* *hujusmodi ex protextu praedicto* (imminentis scandali) etiam si *proles ex Matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico, et a jure considerata, per nos tantum, et non alium approbunda concedemus, et quod dispensationes ex alia causa nostris temporibus exulabunt etc.*

40. Apparente justa causa rescribit Papa, ut *Matrimonium inter se de novo publice, servata forma Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiae solemnisare, et in eo postmodum remanere libere, et licite valeant.* Quid clarius? Oportet Matrimonium, quod hoc tenus nullum propter impedimentum dirimens fuit, de utriusque partis libero, et expresso consensu renovari, et quidem servata forma Concilii Tridentini publice solemnisari, quia agitur de dispensatione impedimenti haud occulti pro utroque foro.

Cap. 6.
De Di-
spens. in
form.
Paul.

41. Interdum in Curia Romana expediuntur dispensationes *in forma pauperum.* Hanc qualitatem oportet utriusque partis esse; unde his verbis exprimitur, *qui pauperes, et miserabiles existunt, et ex labore, et industria sua tantum vivunt.*

42. Probatur haec egestas plerumque testimonio Parochi. Inde illa alicubi formula testimonii supereft. *Ego infra scriptus Rector Parochialis Ecclesiae loci N. sub districtu Diaecesis N. scio, et testificor N. et N. subditos praefatae Parochialis Ecclesiae esse orthodoxae Romanae fidei cultores; verum adeo pauperes, ut de suis labore, et industria tantum vivant. In cuius fidem subscripsi hic - mensis - anni.*

43. Attestatio haec non est in ista forma expedienda , nisi ejus contenta nitantur veritate. Et quidem hanc qualitatem , id est , tantam paupertatem Oratorum oportet esse tum tempore supplicationis , tum tempore executionis.

44. Solent hae dispensationes *in forma pauperum* expedire ob praevium incestum , aut ejus vehementem suspicionem , ne ob copulam jam inter eos quovis modo subsequutam , aut illius suspicionem ortam , contingat eos cum animarum salute , et cum gravi scando lo in simili copula , aut ejus suspicione perseverare , ipsaque Oratrix infamata , et innupta remanere cogatur. Oportet ergo Consanquinitatis , vel affinitatis gradus diserte exprimere.

45. Rescritbit Papa , ut Delegatus Oratores separet , idque sive agatur de Matrimonio contracto , sive de Matrimonio contrahendo. Juxta declarationem Pauli V. si durante hac indicta separatione , aut ante obtentum Decretum dispensationis Oratores se rursus cognoverint , de novo recurrentum est ad Sedem Apostolicam pro litteris : *proinde valere.*

46. Tum praecipitur Commissario , ut Oratoribus poenitentiam publicam imponat. *Eam illis poenitentiam publicam imponas , quae alios deterreat a similibus committendis.* Sat vulgaris est

usus, quod alicubi Oratores, dum Mis-
sa solemnis decantatur in Ecclesia Paro-
chiali, in suis manibus tenere debeant
candelam accensam. His subditur. Ut
*operam suam fabricae, vel in aliud
servitium alicujus Ecclesiae, vel pii
loci, tribus saltem mensibus, conferat*
Orator. Hinc oportet tum publicam poe-
nitentiam, tum indictam operam ab ip-
sis (nam redimi nequit) esse comple-
tam, ut Commissarius ad promulgatio-
nem dispensationis procedere possit. *Tum
demum, ait Pontifex, si tibi expediens
videbitur, quod dispensatio hujusmo-
di sit eis concedenda; nec scandalum sit
ex eo oriturum etc.*

Cap. 7.
De Di-
spens.
Poenit.

47. Hodie ~~no~~ stylo dispensationes Poe-
nitentiaiae a dispensationibus Datariae,
quae utrumque forum spectant, distin-
quuntur. Quippe dispensationes Poeni-
tentiaiae restringuntur ad tam occultum
impedimentum, ut verisimiliter nulli
hominum innotescere queat.

48. Spectat haec dispensatio solum fo-
rum conscientiae, ita, ut *hujusmodi
dispensatio, et absolutio in foro ju-
diciario* (sive per Superiorem ex offi-
cio, vel a quoconque alio causa susci-
ta fuerit) *nullatenus suffragetur.*

49. Inde in rescripto praecipitur Con-
fessario, ut procul a fide testium, alia-
rumque judicialium probationum sole-
nitate, veritatem precum caute, et di-

screte exploret: *Si ita esse per diligenter Oratoris examinationem; ac post monita, et consilia opportuna, ut potest secreta, illi praefita, inveneris.* Sed quid, si aliunde Delegato falsitas precum innoverit? Absit, quod dispensare possit, quia in propriam conscientiam peccaret, quod alienis peccatis communicaret.

50. His additur: *Audita prius Orationis sacramentali Confessione, eandem hac vice in forma Ecclesiae consueta, et injuncta ei poenitentia absolvias.* Vetus hinc dubium solutum est, quod nonnulli fuscitarunt, an dispensationem sacramentalis Confessio praecedere deberet?

51. En reliquam clausulam! *Dummodo impedimentum ex praemissis proveniens sit occultum.* Impedimentum occultum dicitur hoc loco, quod publice non constat, nec facile constare potest, ut nullum periculum sit, quod in foro externo detegatur.

52. Quid amplius? *Et separatio inter latorem, et dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione vero de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque canonicum non obstat impedimentum.* Haec periodi maxime sibi cohaerent ad instruendum Confessarium,

ut non dispensem, nisi praemissa veriscentur.

53. Hinc sequitur: *Cum eodem latore, et dicta muliere de nullitate praedicti consensus certiorata, sed ita cante, ut latoris delictum nusquam degatur, Matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo, secrete ad evitanda scandala, praemissis non obstantibus, contrahere, et postmodum in eo remanere licite valeant, misericorditer dispenses.* Ecce! oportet utramque partem nosse impedimentum, ut de novo consensum sibi invicem praestent, sed praeteritis Tridentini Decreti solemnitatibus secreto, quia de impedimento occulto, et pro foro conscientiae relaxando agitur.

54. Haec enim est clausula: *In foro conscientiae, et in ipso actu Confessionis tantum, et non aliter, neque ullo modo; ita, quod hujusmodi absolutio et dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragetur. Nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, seu processibus confectis ut nullus probationi locus sit. Praesentibus litteris rescripti laniatis, ut nullum supersit dispensationis externum vestigium; quas sub paena excommunicationis latae sententiae laniare tenearis, ita, ut nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris,*

nihil ipsi praesentes litterae pro foro extero suffragentur.

55. Reliquum est, quod plerumque spectet ad officium Parochi, ut et ipse consuetas formulas recentiorum dispensationum ex aße perspectas habeat, et de clausulis romanorum illorum Rescriptorum, si, et quantum opus est, Parochianos suos instruat, quia harum ignorantia tum ipsae litterae periclitantur, tum alia incommoda subnascuntur.

56. Cäeterum consultissimum est, ut Parochus Parochianos suos a frequentioribus dispensationibus, quantum fieri potest, dehortetur, quia, nisi gravi causa subnixae, periculo non vacant. Inquit S. Bernardus; *Malum in corde conceperunt, opere tamen ausi non sunt adimplere, nisi cum licentia. Concepserunt dolorem, sed non peperunt iniquitatem, donec iniquo Papa praebuisset assensum conceptui — — quod tamen SS. Pontificem fecisse, nequam crediderim nisi aut circumuentum mendacio, aut importunitate vietum.*

*57. Erat olim restrictior impedimentorum matrimonialium numerus, nam in Concilio Epaonensi, cuius etiam Decretum refert Synodus Turonensis II., statutum legitur, quod Matrimonii impedimenta ultra Consobrinos, seu ex nostro computu ad secundum gradum non

Cap. 8.
De offic.
Paroch.
circ. di-
spens.

S. Bern.
ep. 7. §. 9.

progrederentur. Refert Gratianus. c. 8.
XX XV. q. 2. et 3. Spuriae Decretales pa-
sim impedimenta haec usque ad gradum
veteri computu septimum exclusive,
qui novo computu est tertius inclusive,
promulgarunt. c. 7. et *passim ibi*. Inno-
centius III. omnino impedimentum con-
sanquinitatis, atque affinitatis ad quar-
tum gradum juxta novum computum
extendit: unde relative ad veterem di-
sciplinam impedimenta non minuit, sed
juxta eundem antiquum computum us-
que ad octavum gradum inclusive auxit,
ut successu temporis illa frequentia di-
spensationum succreverit. c. 8. *de Con-*
fanq. et Affinit. An autem, et quo jure
frequentia ejusmodi dispensationum to-
lerari potest? Ait S. Synodus Tridentina:
Frequentius legem solvere, exem-
ploque potius, quam certo personarum,
rerum que delectu petentibus indul-
gere, nihil aliud est, quam unicuique
ad leges transgrediendas aditum da-
re. An non prae interatis ejusmodi di-
spensationibus consultior foret impedi-
mentorum matrimonialium reductio, et
restrictior discretio?

Trid. seff.
25. c. 18.

T I T V L V S X V.

De Divortiis, et Secundis Nuptiis.

C A P V T I.

D e D i v o r t i o.

1. Divortium sumitur dupliciter, nimirum primo, idque frequentius pro dissolutione Matrimonii quoad vinculum, diciturque haec dissolutio proprie divortium. Secundo accipitur pro separacione conjugum quoad thorum, et cohabitationem, durante interim adhuc Matrimonii vinculo, haecque separatio conjugum impropie divortium appellatur.

2. Supersunt novo jure passim horum divortiorum exempla, et judicia: id enim cautum in reliquis est, ne, obtenuit impedimenti dirimentis, propria auctoritate divortia attententur. Rescripsit Alexander IV. Ambianensi Episcopo: *Quod si etiam parentela esset publica, et notoria, absque judicio Ecclesiae ab ea separari non potuit.* Ref. c. 3. de Divort.

3. Expunctis causis civilibus veterum divortiorum, declaravit Innocentius III. conjugii, quod est in infidelitate contractum, divortium impune esse, si conjux infidelis, utpote quae in infidelitate remanet, post conversionem



parti fideli cohabitare renuat, aut etiam si consentiat, non tamen illi absque contumelia Creatoris, vel ut eandem ad peccatum pertrahat mortale, cohabitare velit. c. 8. ibi.

4. In ultimis ergo casibus his fieri potest divortium non tantum quoad thorum, et mensam, sed etiam quoad conjugii vinculum, prout bene Pontifex probat ex Apostolo, qui sic ad Corinthios scribit: *Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror.* Per haec verba Apostolus infideli converso, vel ipsam Deo dispensante vinculi dissolutionem concedit, vel nihil concedit, quod caeteris fidelibus non conveniat, cum fideles omnes ob varias causas a conjugibus suis sive ad tempus, sive in perpetuum quoad thorum separari possunt. Sunt tamen, qui S. Apostoli locum putant esse restringendum ad simplex divortium thori, illaeſo vinculo conjugali. Ita in nutis legum ecclesiasticarum Mr. de Hericourt. Observat Auct̄or: *Cette maxime tirée d'une decretal du Pape Innocent. III. ne doit point être suivie. Le Pape l'a mal à propos fondée sur un passage de l'Epître première du S. Paul aux Corinthiens, qu'il n'a pas entendu — — S. Paul n'y autorisant autre chose, que la séparation du Corps du*

Loix Eccl.
in not. p.
83, in fin.

conjoint fidele d'avec le conjoint, qui veut demeurer dans l'infidélité.

5. Si leges civiles attendimus, non tantum Matrimonium ratum dissolvitur per Professionem religiosam, sed etiam consumatum. *Novell. 23. c. 40.* Quam legem non obscure indicat S. Gregorius lib. 9. Epist. 39. eamque tanquam legi divinae haud consonam rejicit. In Occidente id genus divortii ad statum Matrimonii rati restringere placuit. Nam et Matrimonium consumatum causa religionis divellere alienum a rationibus Evangelii videbatur. *c. 19. et 21. XXVII.*

q. 2.

6. Ait B. Augustinus: *Una sola causa esse posset, quod te id, quod vovisti, non solum non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si forte tua conjux hoc tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. Nam et vovenda talia non sunt a conjugatis, nisi ex consensu, et voluntate communi: et si praeopere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio.* Refert. *c. 6. XXIII. q. 5.*

7. Jure Decretalium frequentiora hujus argumenti recurrent exempla. Juxta Decretum Alexandri III. nullus conjugatorum est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore, continentiam profitente, fuerit absolutus. *c. 5. Si ma-*

ritus invita uxore intravit Monasterium, ad eam redire compellitur, ut tamen aliam, ea defuncta, accipere non possit.
c. 3. Maritus nec ex consensu uxoris est ordinandus, nisi et ipsa continentiam professa fuerit. c. 6. Si uxor de incontinentia non periclitatur, tolerari potest, quod ipsa in saeculo remaneat, conjuge ad religionem transeunte. c. 4.
et passim de Conv. Conjug.

8. Inde in disciplina occidentalis Ecclesiae superest plenum divortium Matrimonii rati. Ait Nicolaus I: *Deus enim, et non homo separat, quanto divini amoris intueta ex consensu utriusque conjugis Matrimonia dissolvuntur.* Subdit Gratianus exempla Sanctorum, quorum auctoritate pater, quod conjuges ante consumationem Matrimonii, irrequisitor consensu suarum uxorum continentiam valeant profiteri. *Grat. ad c. 26. XVII. q. 2.*

9. Ecce hinc argumenta novi juris! Conjuges post contractas nuptias bimestri dispensantur a debito conjugali, si ad religionem alteruter transtire velit.
c. 7. Professione religiosa Matrimonium ratum ita solvitur, ut remanendi partis integrum ad alias nuptias convolare. *c. 2. de Conv. Conjug.* Sacri tamen Ordines nec Matrimonium ratum dissolvunt. *Extrav. Joann. 22. cap. un. de Vot.*

10. Quid clarius Decreto Concilii Tridentini? *Siquis, inquit, dixerit Matrimonium ratum, non consumatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*

Trid. sess.
24 de sacr.
Matr.
can. 6.

11. Quantum ad causam adulterii ex sententia S. Augustini difficillima est quaestio. In Orientali Ecclesia locus est absoluto divortio: In Occidentali Ecclesia divortium ad secessum cohabitationis illaeo vinculo conjugii restringere placuit. Inter reliquas auctoritates, quas exhibet Gratianus, pronuntiat Concilium Milevitanum: *Placuit, ut secundum Evangelicam, et Apostolicam disciplinam, neque dimissus ab uxore, neque dimissa a marito adulterii causa, alteri conjungantur sed ita maneant, aut sibi reconcilientur. Quod si contempserint, ad poenitentiam redigantur.* Ref. c. 5. XXXII. q. 7.

12. Concilium Tridentinum, ut disciplinam Orientalem intactam relinqueret, Decretum eo moderamine edit: *Siquis dixerit Ecclesiam errare, cum docuit, et docet, juxta Evangelicam, et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non*

Trid. can.
7. ibi.

posse, altero conjugi vivente, aliud Matrimonium contrahere, maecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit; anathema sit.

Cap. 2.

De Di-
vort. quo ad thor.

13. In usu Occidentalis Ecclesiae in de adulterium ex parte tum viri, tum mulieris causam praebet divortii ad separationem thori, cohabitationisque. Inquit S. Augustinus: *Licite itaque dimittitur uxor ob causam fornicationis; sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.*

14. Et vero adulteram oportet dimitti, ut poenitentiam agat. Illa enim, quae adulterii rea tenetur, in consilio retineri non debet, nisi post peractam poenitentiam. Juxta Poenitentiale Theodori Cantuariensis: *Siquis uxorem suam scit adulteram, et non vult dimittere eam, sed in Matrimonio habere, tribus annis, velut patronus alienae turpidinis, poeniteat, et quamdiu illa poenitet, abstineat se ab illa.* c. 6. et passim. **XXXII. q. 1.**

15. Causa adulterii ex suo genere perpetua est, ut marito abhinc integrum sit, adultera inconsulta, invitaque vel ad religiosam vitam transire; vel sacros Ordines suscipere: ut novi juris

exemplis constat. c. 15. et 16. de Con-
vers. Conjug.

16. Si conjux persistit in saeculo, commendatur ei charitas, ut adulteram acta poenitentia recipiat, exemplo Christi, qui adulteram nequaquam a se repulit. Juxta S. Augustinum: *quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignorisse Dominum ambo-rum.* Refert. c. 7. et 8. XXXII. q. 1.

17. Hoc exemplo supereft novo jure Decretum Concilii Arelatensis: *Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam, et voluerit, acta poenitentia, ad vi-rum suum reverti, debet, utpote cau-la honestatis, et charitatis, sed non saepe recipere peccatricem.* Supereft c. 3. de Adult.

18. Reliquum est marito, ut adulteram et privata auctoritate, per modum reconciliationis, recipere possit, nisi scandalum (v. g. quia crimen publicum, et poenitentia occulta est) obſistat. Quippe quisque liberam habet faculta-tem juri suo renuntiandi. Arg. c. 9. de Crim. Fals.

19. Quid, si uterque in eodem luto haeret? Ait S. Augustinus: *Nihil ini-quius, quam fornicationis causa di-mittere uxorem, si et ipſe convincatur fornicari.* Refert. c. 1. XXXII. q. 6. Inde rescripsit novo jure Alexand. III.: *Cum paria crimina compensatione mu-*

tua deleantur, vir fornicationis obtentu suae uxoris nequit consortium declinare. c. 4. de Divort.

20. Divortium thori, et mensae non tantum ob fornicationem carnalem, sed et spiritualem, si scilicet alter coniugum in haeresin, aut Apostasiam labatur, justum est. Olim nonnullis persuasum fuit, ob haeresin vinculum Matrimonii abrumpi; sed cultiore crisi plauit et eam causam ad divortium thori et cohabitationis restringere. c. 6. et 7. d. t.

Trid.
De sacr.
Matr.
can. 5.

Ibi. c. 8.

21. Recepto hoc dogmate pronuntiat Concilium Tridentinum: *Si quis dixerit propter haeresin, Apostasiam, molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjugi posse dissolvi Matrimonii vinculum; anathema sit.*

22. Supersunt et aliae causae hujusmodi divortii. Hinc Concilium decernit: *Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum, incertum tempus fieri posse decernit, anathema sit.*

23. Quid vero aequius, quam ut et haec causae gravissimae sit. En monitum S. Augustini: *Si uxorem quis habeat sterilem, vel difformem corpore, sive debilem membris, vel caecam, vel surdam, vel claudam, vel siquid aliud,*

sive morbis, et doloribus, lanquoribusque confectam, et quidquid (excepta fornicatione) cogitari potest vehementer horribile, pro fide, et societate sustineat. Refert. c. 18. XXXII.

q. 5.

24. Rescripsit Alexander III., nec lepram supervenientem justam causam praebere divortii. *Viri uxores, et uxores viros, qui leprae morbum incurruunt, sequantur, et eis conjugali affectione ministrent.* Refert. c. 1. de Conjug. Lepros.

25. Quum consultus esset Pontifex, utrum mulier pro latrocinio, aut quolibet alio crimine a viro separari possit? Decidit, separationi tunc locum esse, si conjugem suam ad maleficium traxerit; ita tamen, quod alii, vivente marito, nubere non licebit; quia licet separentur, tamen semper conjuges erunt. Ita habetur c. 2. de Divort.

26. Quid de saevitia conjugis? Si vero tanta sit viri saevitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restituiri, sed ab eo potius removeri: aut aucto periculo in loco tuto custodiri, ubi vir, vel Parentes ejus mulierin ullam possint violentiam inferre. Refert. c. 8. de Restit. Spol.

27. Hae tamen causae divortii non nisi ex suo genere temporales sunt;

utpote quoisque malum, vel incommo-
dum, quod ex mutua cohabitatione,
aut consortio maritali timetur, cesse-
Alioquin sufficienti, si fieri potest, se-
curitate provisa, profecto videtur
conjux viro restituenda, quia securi-
tate hac praestita, sublatoque periculo,
cessat causa separationis, deciditur;
c. 13. ibi.

28. Reliquis argumentis reprimun-
tur divortia propria auctoritate atten-
tata. Concilium Agathense damnat vi-
ros, qui conjuges suas dimittunt, ante-
quam apud Episcopos comprovinciales
causas dissidii dixerint. Gratianus De-
cretum perperam Concilio Carthaginien-
si inscripsit. c. 1. XXXIII. q. 2. et ibi
Corr. Rom.

29. Inquit Concilium Milevitanum:
Placuit, ut secundum Evangelium, et
Apostolicam disciplinam neque dimissus
ab uxore, neque dimissa a marito, al-
teri conjungantur, sed ita maneant,
aut sibi reconcilientur. Quod si con-
tempserint, ad poenitentiam redigan-
tur. Supereft c. 5. XXXII. q. 7.

30. Omnes causae, quae vinculum
Matrimonii spectant, pro utroque foro
ecclesiastico tribunali a multis Princi-
pibus relictae sunt, reservatis tribunali
iis, quae dotem, aliasque res aut re-
stitutiones temporales afficiunt: quam-
quam Principum alii ea sibi rursus vin-

dicaverint, quae auctoritati suae propria sunt.

31. His conformiter intelligendum est, quod pronuntiat Concilium Tridentinum: *Siquis dixerit, matrimoniales causas non spectare ad judices ecclesiasticos; anathema sit.*

Trid. de
Sacr.
Matr.
can. 12.

32. Recentioribus itaque saeculis diversis concordatis inter utramque potestatem moderamen plus, minusque placuit. In Belgio solius judicis ecclesiastici est cognitio, et si quaestio faederis matrimonialis inciderit coram judge saeculari. De alimentis, dote, donatione que propter nuptias non cognoscit judex ecclesiasticus, nisi incidenter duntaxat.

33. Dissoluto vinculo conjugii secundis nuptiis locus est. Ait enim Apostolus: *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit somno mortis vir ejus, libera ta est, cui vult, nubat, tantum in Domino.*

Cap. 3.
De se-
cund.
Nupt.
I. Cor. 7.

34. Quis inde dubitet, ex sententia S. Apostoli iterata conjugia et in lege Evangelica criminе vacare. Inde alibi S. Paulus inquit: *Volo ergo juniores I. Ti- viduas nubere, filios procreare, ma- moth. c. 5. tresfamilias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

35. Et quidem non tantum secundae, sed et tertiae, et ulteriores nuptiae a S. Apostolo excusantur. Ait S. Augusti-

nus: *Unde nec ulla debo damnari nuptias, nec eis verecundiam numerositatis inferre.* S. Augustino consentit S. Hieronymus: *Ego, inquit, etiam nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia bigamiam, immo nec trigamiam; et ita licere quinto, et sexto, et ultra, quomodo et secundo marito nubere.* Refert. c. 11. et 13. XXXI. q. 1.

36. Secundae nuptiae sunt quidem minus, atque inferius honoratae, non tam improbandae, licet iis praeferatur viduitas. Ex sententia S. Augustini: *Quapropter hoc primum oportet, ut noveris, bono, quod elegisti, non damnari secundas nuptias, sed inferius honorari.* Nam sicut bonum virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas nuptias tuas; si nec viduitas tua cujusquam secundas. — Nec ita extollas bonum tuum, ut, quod malum non est, tanquam malum calumnieris alienum: sed tanto magis gaudie de bono tuo, quanto magis vides, non tantum illo devitari mala, sed quaedam bona etiam sperari.

37. In Orientali Ecclesia placuit iterata connubia propter suspicionem incontinentiae quadam poenitentia perstringere. Juxta Decretum Concilii Neocafriensis: *Qui frequenter uxores ducunt, et de his, quae saepius nubunt,*

S. Aug.
de bon.
vid. c. 4.

tempus quidem poenitentiae his mani-festum constitutum est, sed conversatio, et fides eorum tempus abbreviat. Ref. c. 8. *XXXI. q. 1.*

38. Labentibus saeculis in Oriente ^{Nov.} Leon. se. succrevit et imperii odium in frequen-tiores nuptias. Hac enim occasione Leo sapiens tertias, quartasque nuptias pro-scripsit. Recedit in imperatorem invidia, aut censura, quod ipse quartas nu-ptias contraxisset. In Concilio Florenti-no et ipsi Graeci, aequa ac Latini quas-que ulteriores nuptias ab omni vitio ex-cusare maluerunt.

39. In Occidente novo jure infamiam, aliasque paenas civiles abolere placuit, quae vetus jus civile viduis inscripsit, quae intra annum luctus nubunt. Ait Urbanus III., et Innocentius: *quia per licentiam, et auctoritatem Apostolicam ejus infamia aboletur.* Refert. c. 4. et 5. *de sec. Nupt.*

40. Expunctis paenis civilibus vidua-rum, quae intra annum luctus nubunt, censem tamen superesse et hodie illis legibus justum locum, quae pro favore prolium ex priore conjugio scriptae sunt: utpote quod vidua, contractis secundis nuptiis, excidat tutela liberorum, amittat usumfructum sibi a priore conjuge relictum, et donationes primi mariti hujus liberis reddere teneatur. L. 3. C. *de sec. Nupt.*

41. Videtur et superesse quaedam censurae species, quod secundae nuptiae benedictione sacra, utpote illa, quae spectat appreciationem saecunditatis, multetur. Rescripsit Alexander III., Sacerdotem ab officio, et beneficio esse suspensum, qui secundas nuptias benedictione illa donavit. *c. 1. de secund. Nupt.*

42. Inter haec argumenta Lucius III. universis Christianis in Captivitate Saracenorū positis declaravit, secundis nuptiis haud locum esse, nisi per certum nuntium de morte prioris conjugis constiterit. *c. 2. de secund. Nupt.* Enim vero ait Clemens III.: *Quantocunque annorum spatio ita derelictae, viventibus viris suis remaneant, non possunt ad aliorum consortium per novas nuptias convolare — donec certum nuntium recipiant de morte priorum virorum.* Refert. *c. 19. de Spons.*

* 43. Praecipiunt recentiora decreta, ut contrahentes tum primas, tum secundas nuptias, se ad dignam perceptionem tanti Sacramenti praeparent susceptis poenitentiae, et Eucharistiae SS. Mysteriis. Quid aequius? En Concilii Cameracensis de Ann. 1565. Decretum: *Matrimonium res sacra est, sancta, et arcta conjunctione divinitus instituta, cum nondum inter homines peccatum natum esset. Quare nec suscipi, nec*

Cone.
Cam. Tit.
15. c. 1.

tradi, nisi sancte, ac religiose praemissis SS. Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis, debet. Ait Concilium Mediolanense III: *Religiosam enim animi praeparationem, susceptis Poenitentiae, et Eucharistiae Sacramentis, requirit Matrimonii ratio, et sanctitas.* Quid disertius Conventus Melodunensis de Anno 1579. Decreto. *Fieri debent, inquit; nuptiarum benedictiones — — nubentibus Sacramento Poenitentiae, et piis praemunitis precibus.* Juxta Concilii Turonensis de Ann. 1583. Decretum: *Benedictionem autem nuptialem impuberibus, aliisque, nisi jejunis, et confessis non esse impertiendam sancimus.*

Conc.
Mediol.
Tit. 17.

Conv.
Melod.
Tit. 15.

Turon.
Tit. 9.

TITVLVS. XVI.

De Ecclesiis.

CAPVT I.

De Templis, et eorum Ornato.

I. Exigit ordo disciplinae, ut Sacramentis argumentum de Ecclesiis subjiciamus, quia Canones frequenter praecipiunt, ut, quantum fieri potest, Sacra menta in Ecclesiis administrentur. Juxta Decretum Concilii Mediolanensis II.: *Ne Parochus ullo alio loco, quam in Ecclesia ipsa, quae Sacramen-*

Conc.
Mediol.
Tit. 1.
Decr. 28.

torum proprius locus est, sponsos matrimonio jungat.

2. Ecclesia vox graeca est, quae etymologia sui nominis conventum fidelium connotat. Vulgari usu et locus, in quem fideles Sacrorum causa conveniunt, Ecclesia dici consuevit. Ait S. Augustinus: *Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia, utpote fidelium multitudo, congregatur. Nam Ecclesia homines fideles sunt, de quibus dicitur, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hoc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait: nunquid domos non habetis, an Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in Ecclesiam configere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum, et parietes prodierit, quibus Ecclesiae Congregatio continetur,*

3. Enimvero a templi nomine, quo locus gentilium Sacrorum exprimi videbatur, primi Christiani valde abhorruerunt. Inde Minucius Felix, Optatus Milevitanus, et S. Hieronymus, quos laudat Bellarminus, negarunt, Christianis esse templo.

Bellarmino
de cult.
SS. lib. 3.
c. 4.

4. Abjecto tam inviso nomine saepe veteres aequius tulerunt, pia illa loca domus orationis, et Oratoria dici. Saluberrimus enim eorum conventuum, quales quales dicerentur, usus apparuit,

tum ob reverentiam loci, tum ob exemplum comprecantium, tum ob uberiorem fructum communium orationum. Sic Anomaeos, qui sacra illa loca contemnebant, freti, quod domi aequa orare possent, S. Chrysost. repressit: *Te, homo, inquit, decipis, et magno in errore versaris; nam et si poni quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domitam bene mores, quam in Ecclesia.*

s. Chrys.
hom. 30.

5. Ait S. Basilius: *Nobis periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime, si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus; propterea, quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante: offendiculum quoque in spectatoribus, generaret.*

s. Basil.
de Bapt.
c. 8.

6. Quum et hae domus orationis soli majestati cultus divini reserventur, Christus Dominus justum exemplum prae- buit exinde abjiciendi, quidquid profanum commercium redolere posset, quia nefas est, domum Dei facere domum negotiationis.

Joann.
c. 2.

7. En Decretum Concilii Trullani: *Quod, inquit, non oportet intra sanctos ambitus cauponariam officinam, vel ciborum species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesias servantes. Salvator enim noster, et Deus, per suam vivendi rationem nos instituens, non facere*

Conc.
Trull.
c. 76.

domum Patris sui domum negotiatio-
nis jussit, qui etiam numulariorum
mensas effudit, et eos, qui sacrum
commune faciunt, ejicit.

8. Quid uberius Decreto Concilii Lug-
dunensis II.? Cessent, inquit, in locis
illis universitatum, et societatum qua-
rum libet saecularium Concilia, Con-
ciones, et publica Parlamenta. Cessent
vana, et multo fortius faeda, et pro-
fana colloquia. Cessent Confabulatio-
nes quaelibet. Sint postremo quaecun-
que alia, quae divinum possunt tur-
bare officium, aut oculos divinae ma-
jestatis offendere, ab ipsis prorsus ex-
tranea. ne, ubi peccatorum est venia
postulanda, ibi peccandi detur occa-
sio, aut deprehendantur peccata com-
mitti. Cessent in Ecclesiis, earumque
caemeteriis negotiationes, et praecipue
nundinarum, ac fori cuiuscunque tu-
multus. Refert. c. 2. de Immunit. Ec-
cles. in 6.

9. Olim moris erat, quod quaedam
spectacula in Ecclesia exhiberentur. Me-
minit harum, aliarumque corruptelarum
Synodus Basileensis: Turpem, inquit,
illum etiam abusum, in quibusdam
frequentatum Ecclesiis, quo certis an-
ni celebritatibus nonnulli cum baculo,
mitra, ac vestibus Pontificalibus more
Episcoporum benedicunt; alii, ut Re-
ges, et Duces induti, quod festum fa-

Conc. Ba-
sil. sess. 21.
Decr.
de spect.

tuorum, vel innocentum, seu puero-
rum, in quibusdam regionibus nuncu-
patur; alii larvales, et theatrales
jocos; alii choreas, et tripudia ma-
rium, ac mulierum facientes homines
ad spectacula, et cachinationes mo-
vent; alii commessationes, et convivia
praeparant: haec S. Synodus detestans
statuit etc.

10. Superfuit Concilio Tridentino,
quod a cultu sacrarum imaginum alios,
aliosque abusus, quos superstitione, aut
turpis quaestus injuria temporum inve-
xerat, resecaret. Enimvero a pio, et
discreto cultu SS. Imaginum reliquae
corruptelae indiscretionis valde fecer-
nendae sunt. Commendat justum usum
SS. Imaginum in Ecclesiis S. Gregorius:
Idcirco enim, ait, pictura in Ecclesiis
adhibetur, ut hi, qui litteras nesciunt,
saltem in parietibus videndo legant,
quae legere in codicibus non valent.
Tua ergo fraternitas et illas servare,
et ab earum adoratu populum prohi-
bere debuit; quatenus et litterarum
nescii haberent, unde scientiam histo-
riæ colligerent: et populus in pictu-
rae adoratione minime peccaret.

11. SS. Imagines suo usu fere supra
usum SS. Librorum excellunt. Inquit
Synodus Nicaena II.: *Lectio enim mi-*
nus nonnunquam recitatur in venera-
bilibus templis; imaginalis vero for-

S. Greg.
lib. 7.
epist. 110.

Synod.
Nicae. II.
act. 6.

matio vespere, mane, et meridie tan-
quam in eis stabilita, narrat nobis,
et annuntiat veritatem gestorum.

Trid. fest.
25. Decr.
de Invoc.
et vener.
Reliq. SS.

12. Juxta Tridentinum Decretum
illud diligenter doceant Episcopi, per
historias Mysteriorum nostrae redem-
ptionis in picturis, vel aliis similitu-
dinibus expressas, erudiri, et confirma-
ri populum in fidei commemorandis
articulis, et assidue recolendis: tum
vero omnibus sacris Imaginibus ma-
gnum fructum percipi; non solum,
quia admonetur populus beneficiorum,
et munierum, quae a Christo sibi colla-
ta sunt, sed etiam, quia Dei per San-
tos miracula, et salutaria exempla
oculis fidelium subjiciuntur: ut pro-
iis Deo gratias agant, ad sanctorum
que imitationem vitam, moresque suos
componant, excitenturque ad adoran-
dum, ac diligendum Deum, et ad pie-
tatem colendam.

Ibi.

13. Quid in tam salubri SS. Imaginum
usu reliquum est, quam, ut omnis super-
sticio indiscretioris pietatis, picturaeque
lascivia a cultu SS. Imaginum exulet.
Tanta circa haec, inquit Synodus, di-
ligentia, et cura ab Episcopis adhi-
beatur, ut nihil inordinatum, aut
praepostere, et tumultuarie accomo-
datum, nihil profanum, nihilque in-
honestum appareat; cum domum Dei
deceat

deceat vera, et solida sanctitudo. Quan-
tum abesset periculum reliqui abusus, si
ex sententia Tridentini Decreti nulli
liceret ullo in loco, vel Ecclesia, etiam
quomodlibet exempta ullam insolitam,
aut novam ponere, aut ponendam cu-
rare imaginem, nisi ab Episcopo pro-
bata fuerit.

14. Praecipit in Concilio Mediolanensi I. S. Carolus, *ut uniuscujusque ima-*
ginis, quae exponitur in Ecclesia, os, Conc.
Mediol. I.
corporis habitum, et statum, orna-
tum, et locum inspiciendum current E-
piscopi; ut haec omnia ad Prototypi
dignitatem, et sanctitatem acta sint,
et decora; atque ex imaginis inspectio-
ne pietas excitetur; nulla vero turpis
cogitationis detur occasio. Si ad exem-
plum hujus Decreti Episcoporum, Pa-
storumque cura, et auctoritate procurar-
retur, ut nullae imagines, aut statuae
in Ecclesiam admitterentur, nisi quarum
inspectio ad pietatem moveret intuen-
tes; ipsarumque imaginum populo fre-
quentius exponeretur proprius, et legiti-
mus usus, spes esset, fore, ut opta-
tus fructus ex imaginum usu haberetur,
repressis corruptelis, quae haereticis an-
sam praebent, legitimum eorum usum
culpandi.

15. Non vacat abusu et illa consue-
tudo, quod viri mixti faeminis usque
ad sacrarium penetrant. Veteri more
V an-Espen J. Eccl. P. II.

divisus locus fuit, quo viri confidebant, ab eo, qui faeminis relictus est. Chorus proprius locus Clericorum fuit, a quo Laici excludebantur. Ait. S. Augustinus: *Populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, honesta utriusque sexus discretione.*

16. Supereft et novo jure vetus Decretum Concilii Moguntini, *ut Laici secus altare, quando SS. Mysteria celebrantur, stare, vel sedere inter Clericos non praesumant; sed pars illa, quae cancellis obducto velo, ab altari dividitur, tantum psallentibus pateat Clericis.* Ad orandum vero (vetus lectio habes: ad adorandum, velum enim pandi solebat, cum ad Canonem missae perventum erat) *et communicandum laicis, et faeminis, (sicut mos est) reservato velo panteant sancta sanctorum.* Refert. c. i. de Vit. et Honest. Cler.

Conc.
Aquens.
de Chor.

17. Concilium Aquense Ann. 1585. plus, minusque veterem ordinem restituit, decernens, laicos homines (et multo minus mulieres) dum divina celebrantur, intra cancellos chori nequaquam esse admittendos — — Laici vero nobiliores, ait, et qui vel christianissimi Regis Consiliarii, et Officiales, aut ex militaribus Ordinibus, aut communicatum Magistratibus fuerint: aut Patroni Ecclesiarum, poterunt intra chorum admitti, si eo in

loco divinis interesse velint: ita tamen, ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos psallentes ipsis sedere liceat: feminae vero, cujuscunque conditionis, aut status sint, nullo unquam tempore, nullave ex causa, cum officia divina celebrantur, aut verbum Dei praedicatur: denique iis horis, quibus Clerici tam saeculares, quam Regulares in choro praesentes esse debent, intra eundem chorum, aliquemve ejus locum secretum, etiam superiorem admittantur.

18. Amplioribus cautelis opus est in cultu SS. Imaginum, ne locus detur superstitioni, aut scandalo. Statuit olim Concilium Eliberitanum: *Picturas in Ecclesia esse non debere; nec, quod colitur, aut adoratur, in parietibus depingi.* Quippe periculorum videbatur idololatris recenter conversis proponere cultum imaginum, ne per simplicitatem eis obrepstisset, quod non tam idola reliquissent, quam simulacra mutassent.

19. Graeci etiamnum inde a statuis abhorrent, eo quod juxta S. Germanum, P. C. statuae nimiam cum idolorum simulacris similitudinem habere videantur; et quasi ideam simulacrorum oculis intuentium objiciant.

20. Refert Socrates, et Sozomenus in Oriente extitisse Monachos, qui prae

Cap. 2. De
caut. in
cult. SS.
Imagin.
Conc.
Elib. c. 36.

S Germ.
ep. ad
Thom.
Claudio-
pol.

Socrat.
lib. 6. c. 7.
Sozom lib.
8. c. II.

imperitia S. Scripturae Deum corpora-
reum esse finxerunt. In Ecclesiae in Ro-
mana fatis diu imagines SS. Trinitatis
exulabant, aut ignorabantur. In Syno-
do VII. nihil decernitur de Dei Patris, et
Mabillon. Spiritus S. picturis, quas teste Mabillono
praef. ad P. I. saec
IV. Bened.
§. 3. *necdum etiam admittebat aetas illa.* Re-
cepto earum usū plures e recentioribus
Theologis etiam nūm sustinent, rudi popu-
lo nequaquam expedire, ut similes ima-
gines SS. Trinitatis in Ecclesiis publice
exponantur, Concilium enim Tridenti-
num nihil definivit super imaginibus
Dei, et SS. Trinitatis, eoquod super
hoc punc̄to Doctores Catholici inter se
essent divisi.

21. Ali quando et diuturnior, et acer-
bior haesit inter Catholicos, utpote Gal-
los, et reliquos Graecos, Latinosque,
contentio de cultu SS. Imaginum cae-
terarum. Contendebant enim Franci,
earum usum in Ecclesiis alium legitimum
haud esse, nisi ad piam instrunctionem
rudiorum: *Ut ipsa pictura pro scrip-
tura haberetur, ne ab indoctioribus,
et infirmioribus adorarentur; sed ne-
que lucernas accenderent, neque in-
censum adolerent.*

22. Misso veteri praejudicio Gallorum,
recentioribus Conciliis vigilandum fuit,
ut sequioribus periculis obviaretur. Con-
cilium Colonense Anno 1452. statuit,

ut, si Ordinarii in visitationibus Diaec-
sum suarum vel alias reperiant con-
cursum populi ad aliquam imaginem,
cognoverintque informatione summa-
ria recepta populum amplius ad di-
spositionem figurae talis imagines,
quam salva fide expediat, inclinari,
tunc talem imaginem tollant, et alias
omnino provideant, ne idololatriam
committant.

Tom. 13.
Conc.
Gen. Col.
1382.

23. Hoc exemplo praecipit Anno 1549. Synodus Moguntina omnibus Or-
dinariis, ut, si forte in territoriis suis
ad imaginem aliquam concursus fieri,
et homines ad ipsius imaginis figuram
respectum habere, et quasi quandam divi-
nitatis opinionem illi tribuere animad-
verterint, ipsam imaginem pro cause
qualitate aut tollant aut mutent, et ali-
am a prima notabili quantitate differen-
tem reponant, ne rudis populus in in-
tellectu suo depresso, et ideo per me-
dia corporalia ad divina erigendus,
spem suam contra Ecclesiae intentio-
nem, in corporali, et quidem certa
imagine, privata phantasia, atque
adhaesione collocet: quasi in illa quae-
dam sit necessitas, ut per eam, et non
aliter, inducatur Deus, et sancti id
facere, quod petantur.

Synod.
Mogunt.
c. 42.

24. Synodus Rothomagensis Anno 1445. damnat modos illos, veluti quae-
stus gratia introductos, denominandi

Synod.
Rothom.
c. 7.

imagines; utpote Notre Dame de Recouvrance, Notre Dame de Pitié, de Consolation, de Grace etc. Non talia sunt occasio superstitionis in multis; quasi sit plus in una imagine, quam in altera.

Cap. 3.
De Ædif.
Eccles

25. Aucto cultu SS. Imaginum frequentior succrevit causa novarum SS. aedium construendarum, aut veterum extendarum per Capellas, Oratoriaque, quae nostro usu saepius Ecclesiis cohaerent, aut et insunt, ut cuidem SS. Imagini locus detur.

Euseb.
lib. 8. c. 1.

26. Refert Eusebius, jam a Christianis, prout in dies numerus credentium accreverat, plures, augustioresque Ecclesiás fuisse excitatas. En verba: *Quo factum est, ut priscis aedificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiose ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesiás.*

27. Affulgente pace Ecclesiae indiscretior zelus aedicandarum Ecclesiárum tum legibus Christianorum imperatorum, tum Canonibus Conciliarum reprimendus fuit; fixa enim regula fuit, non esse absque consensu Diaecefani Episcopi quandam S. Ædem aedicandam. Inquit Concilium Chalcedonense: *Placuit igitur neminem aut aedicare, aut construere Monasteria, aut Ora torii domum sine conscientia ipsius ci-*

vitatis Episcopi. Refert. c. 10. XVIII.
q. 2.

28. Promulgat Justinianus, nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque orationis domum incipere aedificare, antequam civitatis Deo amabilis Episcopus in loco orationem faciat, et crucem figat, publicum processum ibi faciens, et causam manifestam omnibus statuens. Multi enim simulantes fabricare quasi orationis domos, suis medentur lanquoribus, non orthodoxarum Ecclesiarum aedificatores facti, sed speluncarum illicitarum. Haec exhibit Nov. 76. c. 1.

29. Haec Decreta saepius successu saeculorum restaurata sunt. Juxta Capitularia Regum Francorum: *Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibi privatim potest; tamen non audeat in eo sacras Missas facere.*

30. Refert vetera Decreta sat ampla numero Gratianus. Supereft inter ea Synodi Aurelianensis Constitutio eo tenore: *Unicuique fidelium in domo sua Oratorium, privatae devotionis causa, liceat habere, et ibi orare; Missas autem ibi in salutato Episcopo, celebrare non licet.* Refert. c. 33. D. 1. de Cons.

31. Nomine igitur Missae non tantum sacrificium, sed et usus reliquorum Sacramentorum, veluti cultus publicus prohibitus intelligebatur. Ait Synodus

Capit.
lib. 5. c.
383.

VI.: Clericos, qui ministrant, vel baptizant in Oratoriis, quae in domibus sunt, cum consensu Episcopi hoc faceri praecepimus. Siquis vero hoc non observaverit, deponatur. Supereft. c. 34. ibi.

S. Aug.
ep. 109.

32. Veteri more Oratoria dicta sunt, quia orationi destinantur. Ait S. Augustinus: *In Oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod factum est, unde et nomen accepit.* Hoc usu, et nomine posthac privata Sacella Monachorum, et Magnatum donare placuit, quae, Parochiarum jure destituta, domesticis Sacris Familiae sacrae, vel profanae reservabantur. Successit, quod et in his Missas teneri privatas concederent Episcopi, eo moderamine, ut in majoribus festivitatibus Ecclesia Parochialis esset frequentanda. c. 35. D. i. de Conf.

33. Hodie Oratoria a Capellis distinguuntur. Harum quaedam jam pridem extuctae fuere ob honorem alicujus Sancti, et praecipue Martyrum, eo ipso loco, quo aut pro Christo sanquinem fuderant, aut quo eorum sacra Offa reservabantur. Inde et antiquitus Martyria audiebant.

34. Circa haec Oratoria, Sacella, et Capellas, ut hodie vocant, Episcopo dicta est regula, ut ea non ultra, quam eo moderamine, admittat, ne populus

ea occasione a Parochiali Ecclesiae nimium abstrahatur. Recepto stylo inferi litteris, quibus usus Oratorii, aut Capellae conceditur, solet clausula: *Sine Ecclesiae Parochialis praejudicio.*

35. Juxta Decretum Concilii Bracharensis II.; *Siquis Baslicam non pro devotione fidei, sed pro quaestus cupiditate aedificat, ut, quidquid ibidem de oblatione colligitur, medium cum Clericis dividat, eoquod baslicam in terra sua quaestus causa condiderit (quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri) hoc de caetero observari debet, ut nullus Episcoporum tam abominabili voto consentiat; nec baslicam, quae non pro Sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.* Quid aequius, quam ut omnis turpis quaestus, vel quisquis alias sequior affectus a vera causa novarum SS. Ædium discernatur. c. 10. D. 1. de Conf.

36. Si tam sollicite causam novellarum SS. Ædium et hodie explorarent Episcopi, verosimile est, quod non raro deprehenderent, eas potius aliquando quaestus, qum pietatis causa extrui, ut per ficta miracula, supposititiasque reliquias oblationes populi sibi, suisque Sacellis concilient. Statuit Concilium Tridentinum, nulla admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias, nisi

Trid. supr.

recognoscente, et approbante Episcopo.

37. Nova Parochialis Ecclesia aedicari non potest, nisi una erigatur nova Parochia. Nec enim Ecclesia Parochialis potest esse sine populo, qui communitatem constituat. Veteri more frequens fuit, quod ex Oratoriis, et Sacellis Parochiales Ecclesiae succrescerent, eo moderamine, ut antiquioribus Ecclesiis vetera jura intacta relinquerentur.

38. Novo jure praecipit Alexander III. propter distantiam locorum, aut aliam difficultatem Parochianorum, ut sine incommodo: aut periculo ad percipienda Sacra menta, et divina officia audienda ad veterem Ecclesiam accedere, maxime hyemnali tempore, cum pluviae inundant, non possint, novas Parochias institui, ut tamen matrici Ecclesiae justus honor reservetur. c. 3. de Eccl. aedif.

Trid. sess.
21. c. 4.

39. Hoc exemplo decernit Synodus Tridentina, ut Episcopi in iis locis, in quibus ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacra menta, et divina officia audienda accedere non possunt, novas Parochias, etiam invitis Rectoribus — — constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis

praeficiendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodolibet pertinentibus; et, si horum defectu necesse fuerit, compellere possint censuris populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam.

40. Certum omnino est, quod salus populi, qui sine gravi incommodo vel propter locorum distantiam, vel aliam difficultatem itineris ad percipienda Sacra menta, et audienda divina concurre re nequit, legitimam causam praebeat novae Parochiae erigendae, etiam in vitiis Rectoribus, Patronisque, si injuste dissentire videantur. Quid aequius illo consilio publico, ut illis locis novae instituerentur Parochiae, in quibus veteres amplius per circuitum, quam unius horae spatio extenduntur? Quippe hac discretione nemo Parochianorum de percipiendis Sacramentis periclitari, aut ab audiendis divinis excusari posset.

41. Ast quid frequentius, quam quod tam aequius votis dissentiant Rectores, Pa troni, Decimatoresque, qui uberioribus preventibus hac occasione privari videntur, aut verentur? Praecipit enim Con cilium, ut novellis Pastoribus ex preventibus ad matricem Ecclesiam quo modocunque pertinentibus competens portio assignetur. In argumentis novi

juris frequens mentio congruae hujus portionis occurrit, quia distractis decimis ecclesiasticis per uniones Monasteriorum, et Capitulorum saepe Parochi justa vitae alimonia destitui videbantur. Praecipit Papa, ut deficientibus Ecclesiae propriis proventibus fortuitis, fixisque, Decimatores ad collationem congruae sustentationis pro Parocho compellantur ab Episcopo, sive Clerici sint, sive Laici, quia decimae, veluti excrescentes in alienum commodum, non intelliguntur, nisi subtraæta portione congrua Pastoris. c. 2. §. 3. de Decim. in 6.

42. Reliquum; et veluti extremum medium est, populum compellere ea subministrare, quae sufficient ad vitam dictorum Sacerdotum sustendandam. Communis nota est, compulsionem illam populi, in via exactio[n]is fieri non posse, nisi interveniat auctoritas regia.

43. Veteri more nonnisi Cathedrales aedes Ecclesiae dictae sunt; reliquas enim minores, et inferiores Ecclesias appellare Oratoria, aut titulos placuit. Hac occasione accidit, quod tanta solemnitate veteres dedicationes a Scriptoribus celebrentur. Ait Eusebius: Post haec votivum nobis, ac desideratum spectaculum praebetur dedicationum; scilicet festivitas per singulas urbes,

Cap. 4.
De Con-
fess.
Eccles.

Euseb.
lib. 10.
c. 3.

et Oratorium recens structorum consecrationes.

44. En solemnitatum praecipuam seriem! *Sacerdotes*, inquit alibi, partim precationibus, partim sermonibus festivitatem ornabant. *Alii* siquidem comitatem religiosi Imperatoris (Constantini M.) erga omnium servatorem laudibus celebrabant, et *Martyrii* magnificantiam oratione prosequabantur. *Alii* sacris Theologiae dogmatibus ad praesentem celebritatem accommodatis, spirituale quoddam epulum audientibus praebebant. Quidam sacrorum Voluminum interpretabantur lectiones, arcanos, et mysticos sensus in lucem proferentes. Qui vero ad haec aspirare non poterant, incruentis sacrificiis, et mysticis oblationibus Deum placabant pro pace communi, pro Ecclesia Dei etc.

De vit.
Const.
lib. 4.
c. 45.

45. Horum sermonum, et orationum vulgatus argumentum praebuit mysterium Baptismi. Ait S. August.: *Celebritas hujus Congregationis est dedicatio domus orationis. Domus ergo orationum nostrarum ista est, Domus Dei nos ipsi. Si Domus Dei nos ipsi, nos in hoc saeculo aedificamur, ut in fine saeculi dedicemur.*

S. Aug.
serm. 33^o.
etc.

46. Quum ad tantam festivitatem plures occurrerent Episcopi, nonnunquam hic conventus in Concilium desit, ut

et stabilienda disciplinae consuleretur in erectione novae Cathedralis Ecclesiae. Hac, aliave occasione regula invaluit, Ecclesiam, utpote Cathedralem, praeterita Metropolitae auctoritate dedicari non posse. Ita Gelasius Sedis Apostolicae auctoritatem in illis Ecclesiis, quae jure Metropolitano Papae subdebantur, vindicavit. c. 4. D. i. de Conf.

47. Reliquarum inferiorum Ecclesiarum dedicationes Episcopo per suam diaecesis reservantur. Saeculo XI. aegerrime Galli tulerunt, quod Papa Legatum in Diaecesis Turonensem misisset, ut praeterito consensu Archiepiscopi, in cuius diaecesi erat, per auctoritatem Sedis Apostolicae Ecclesiam, quam Fulco Comes extruxerat, consecraret. Refert Rudolphus Glaber, Episcopos Galliae indignanter conquestos esse. *Licet enim Pontifex R. E. ob dignitatem Apostolicae Sedis, caeteris in orbe constitutis reverentior haberetur, non tam ei licet transgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem.*

48. Reliqui ritus dedicationis nec in omnibus Ecclesiis, nec omni tempore iidem fuere. Aestu persecutionum fervente sat frequens fuit, quod in areis, et Caemeteriis, in quibus SS. Martorum conquiescebant corpora, ad S. Synaxim convenienter. Hac occasione Ecclesiae, remissis persecutionibus, in iis

Rudolph.
Glab.
lib. 2. c. 4.

locis, utpote supra sepulchra SS. Martyrum, caeperant aedificari. Atque hinc originem inviolabilis illius usus explicant, ut nullum templum, nullumque altare sine Reliquiis Sanctorum aedicare, consecrareque liceat. Praecipit Synodus Nicaena II., deponi Episcopum, qui templum sine sanctis Reliquiis consecrat, *ut qui ecclesiasticas traditiones transgressus est.* Decretum Concili Africani refert Gratianus c. 26. D. i. de Conf.

Synod.
Nicae. II.
c. 7.

49. Juxta modernum Pontificale :
Sero ante diem dedicationis Pontifex parat Reliquias, ponens eas in decenti, et mundo vasculo, cum tribus granis thuris; sigillans ipsum vasculum diligenter; et illud ante fores Ecclesiae consecrandae ponens cum duabus candelabris, et luminaribus ardentibus: celebrandaque sunt vigiliae ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et matutinae laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiae sunt recondendae.

Pontif.
Rom. de
Conf.
Eccles.

50. Saeculo IX. mos invaluit, quod Episcopus cum Clericis vigilias in aliqua veteri Ecclesia coram reliquiis, in nova aede recondendis, ageret, ea consecrata reversurus ad illam veterem Ecclesiam, ut inde reliquias sublatas solemnii processione in novam Basilicam transferret. Meminit harum vigiliarum

Rhab. de
Just. Cler.
lib. 2.
c. 45.

Rhabanus Maurus, explicavitque, quod arca testamenti cum sanctis, quae in ea erant, in tabernaculo Mosaico, ante aedificationem templi per excubias Levitarum servabatur. Uberiore ritum veteris legis jactant spuriae Decretales. c. 1. D. 1. de Conf.

§ 1. Hodie Episcopus, ad consecrationem Ecclesiae accedens, ter ipsam Ecclesiam exterius circuit, et aqua benedicta parietes ejus aspergit, ac tertio perveniens ad portam Ecclesiae eam baculo Pastorali percutit, dicens: *Attollite portas Principes vestras, et elevmini portae aeternales, et introibit Rex gloriae.* His dictis tertia vice facit crucem super liminare in ostio cum inferiore parte baculi, dicens: *Ecce crucis signum, fugiant phantasmatu cuncta.*

Menard.
p. 189.

§ 2. In antiquo Codice Sacramentarii legit Menardus: *Et, dum venerint ad ostium Ecclesiae, percutiat Pontifex ter superliminare de cambutta (virga pastorali) sua, dicens ante portam Antiphonam: Tollite portas Principes vestras.* Et cantant intrantes ipsum Psalmum totum ante ostium, et aperto ostio intrantes dicant: *Pax huic domui.*

§ 3. Meminit trini circuitus Rathodus, et Rhabanus Maurus. Meminit trixae aspersoris per aquam benedictam Ivo Carnotensis: *Ista aqua, inquit, ad quamdam Baptismi imaginem, gyrando*

Ivo de
Sacr. de-
dicat.

*do Ecclesiam, tunc exterius aspergi-
mus: quia, ubi more baptizatorum,
non potest fieri trina mersio, necesse
est, ut, qua possumus Sacramenti si-
militudine, trina fiat aspersio. Unam
enim habet significationem trina mer-
sio, et trina aspersio.*

54. Ecce placuit et recentius quas-
dam caeremonias in Consecratione tem-
pli materialis adhibere ad similitudinem
earum, quae in spiritualis templi, scilicet
animaе dedicatione per Baptismum,
usitatae sunt; eoquod a Patribus dedi-
catio templi materialis repraesentare-
tur ut figura dedicationis templi spiri-
tualis. Huic verisimiliter originem de-
bet ritus signandi, et Oleo sancto li-
niendo ipsos Ecclesiae parietes duodecim
crucibus: ut, sicut in spirituali dedica-
tione baptizandus crucis signactlo et
oleo signatur, ita spiritualis dedicatio-
nis figura hic exhibetur. Adhibetur et
sal, quia et Neophytis sal datur. Ipsa
duplicis Alphabeti in pavimento templi
delineatio ex ritu Baptismi derivatur.
Ait Ivo: *Quid enim per Alphabetum,* Supr.
*nisi initia, et rudimenta doctrinae sa-
crae intelligi convenit — scribit enim
Pontifex quasi Alphabetum per ordi-
nem, cum docet fidei simplicitatem.*

55. Quidni et illa convivia, quae in
dedicatione templi usitata quondam fu-
erant, causa, et similitudine laetitiae,

s. Greg.
lib. 9.
ep. 71.

Synod.
Colon.
P. 9. c. 11.

quae fulceptum Baptismum excipere solet, explicare licet? Meminit veteris instituti S. Gregorius. Veteri more celebrabatur annuatim annotinus Baptismus. Hac occasione procul dubio sucrevere et anniversaria dedicationum.

56. Subnatis corruptelis alicubi consultissimum visum fuit, anniversaria omnium dedicationum in unum diem per totam diaecefisn conjicere. Synodus Coloniensis Anno 1536. ita statuit. Cum in diebus festis, qui dedicationi Ecclesiarum peculiariter dedicati sunt, plerumque indigna committantur, adeo, ut videatur populus potissimum commissationis causa convenire: visum nobis est, ut per Diaecefes nostras uno, eodemque certo die anni, quo hujusmodi festum Dedicationis in Metropolitana nostra colitur, in reliquis quoque Ecclesiis omnibus; extra civitatem nostram Coloniam Agripinam constitutis, observetur. Quid salubrius hoc Decreto; si et alibi et ubivis figeretur. Enimvero in Belgio et Carolus V., et Philippus II. id constituerunt.

Cap. 5.
De recon-
fecr. et
reconcil.
Eccles.

57. En reliquum argumentum analogiae, quod Canones inter Baptismum, et Consecrationem Ecclesiae prosequuntur? *Sicut infans a qualicunque Sacerdote in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti baptizatus semel, non debet iterum baptizari: ita nec locus,*

Deo dedicatus, iterum consecrandus est. Gratianus id Decretum Concilio Ni-
caeno inscripsit. c. 20. D. i. de Cons.

58. Et quum iterando Baptismo lo-
cus sit, si fides SS. Trinitatis adulterata
appareat: hoc exemplo et statutum est,
consecrationes Ecclesiarum, ab Arianis
factas, esse reiterandas. c. 21. ibi.

59. Juxta Capitularia Ecclesiae, vel ^{Capit.}
Altaria, quae ambigua sunt de Conse-
cratione, consecrentur; quia et Ba-
ptismus iterari potest, si dubitetur, an
legitime collatus fit? Refert Gratianus
Decretum sub epigraphe Concilii Mel-
densis. c. 18. D. i. de Consecr.

60. Novo jure decidit Innocent. III.,
ligneis aedificiis Ecclesiae igne absum-
ptis, ac mensa altaris in extremitate
modicum fracta, reconsecratio locum
non esse, si parietes in sua integritate
permanerint, tabulaque altaris mota,
aut enormiter laesa non fuerit, quia
moraliter censetur eadem persistere Ec-
clesia; et si per partes subinde, aut et
frequenter reparata fuerit. c. 6. de Con-
secr. Eccl.

61. Progressu temporis Consecratio
Ecclesiae a Consecratione altaris distin-
qui caepit. Spuria Decretalis Hygini
praecipit: *Si motum fuerit altare, de-*
nuo consecretur Ecclesia: Si parietes
mutantur, et non altare, salibustan-

tum exorcizentur. Refert. c. 19. D. i.
de Conf.

62. Jure novo rescripsit Alexand. III.:
Si altare motum fuerit, Ecclesia propter hoc nequam suam consuevit Consecrationem iterare: licet id quidam Canones (mox relati) innuere videantur. Enimvero Consecratio altaris diversa est a Consecratione Ecclesiae, ut ab invicem haud dependeant. c. 1.
de Conf. Eccles.

63. Jaëtat spuris Decretalis Hygini:
Si homicidio, vel adulterio Ecclesia violata fuerit, diligentissime expurgetur et denuo consecretur. Ita legit Gratianus. c. 19. §. 1. D. i. *de Consecr.*

64. Jure novo diserte, et frequenter decisum tenemus, non reconsecrationi, sed reconciliationi Ecclesiae locum esse, si per humani sanguinis effusionem Ecclesia polluta fuerit: quemadmodum et templum spirituale, per crimen profanatum, non per reiterationem Baptismi reconsecratur, sed per aquas poenitentiae reconciliatur. c. 4. *de Consecr.*
c. un. *ibi in 6.*

65. Supereft, quod ad exemplum veteris poenitentiae, Ecclesiam humani sanguinis, et feminis effusione polluicenfemus; quippe et veteri more homicidium, et adulterium inter crimina canonica praecipuum locum tenebant,

ut ad publicam reconciliationem rejice-
rentur. c. 4. *de Consecr.*

66. Quum ergo solemnis poeniten-
tiae, et reconciliationis usus non sit,
nisi in peccatore publico; ita haec so-
lemnis reconciliatio Ecclesiae non im-
penditur, nisi pollutio sit publica, uti
recte monet Synodus Coloniensis de
Ann. 1536.

67. Ait Synodus illa Coloniensis: *Re-*
conciliatur Ecclesia, aut caemeterium
ob enormem sanguinis effusionem, de-
dita opera violenter, et injuriose com-
missum. Juxta Interpretes enim et in-
juria, et laesio gravis esse debet, ut
utraque enormis appareat.

Synod.
Colon.
P. 9. c. 18.

Ibi. c. 7.

68. Polluta Ecclesia et caemeterium,
si ei sit contiguum, censetur pollutum,
quia caemeterium, quod contiguum est,
Ecclesiae accessorium censetur. At vero
si caemeterium remotum ab Ecclesia fu-
erit, per pollutionem Ecclesiae haud
inficitur. Nec Ecclesia, quamvis conti-
gua, per pollutionem caemeterii vitia-
tur. Si duo sint caemeteria contigua,
quae tamen medio pariete distant, unius
vitium in alterum non redundat. c. un-
de Consecr. Eccl. in 6.

69. Effectus pollutionis est, quod in
Ecclesia polluta ante reconciliationem
divina officia, praesertim Missarum so-
lemnia, celebrare non liceat. c. 11. *de*
Privil. Declaravit tamen Bonifac. VIII.

eum, qui in Ecclesia polluta scienter celebrare prae sumit, quamvis temerarie agat, nihilominus ab irregularitate excusari, *cum id non sit expressum in jure.* Refert. c. 18. de Sent. Excom. in 6.

70. Reconciliatio Ecclesiae, caementeriique Episcopo reservatur, quia publica, solemnisque illa expiatio veluti figura solemnis illius reconciliationis habetur, qua publicus peccator in communionem Sacrorum restituitur. c. 9. de Consecr. Eccles.

71. Ait Synodus Coloniensis Anno 1536. *Locum sacrum reconciliari tantis solemnitatibus ad exemplum, et terorem, ut videntes locum sacrum, seu inanimatum templum nulli peccato obnoxium, lavari, et purificari, delicti horrore concutiantur, et recogitent, quantum pro expiacione delictorum, et vivo Dei templo fit elaborandum.*

72. Oportet et aquam, qua in reconciliatione aspergenda est Ecclesia, cum vino et cinere mixtam ab Episcopo benedici: sic enim et poenitentiam solemnem, cuius aqua, et cineres symbo la sunt, imponere Episcopi est. Aquam benedictam aspergit Episcopus per aspergitorum de herba Hysopi, ut illa solemnis poenitentium reconciliatio figuretur, juxta illud Psalmistae: *Asperges me Hyssopo, et mundabor.*

Psalm. 50. *Asperges me Hyssopo, et mundabor.*

73. Tam solemnis ritus expiationis pro restituenda Ecclesia consecrata praescriptus est, quia et illa solemnis poenitentia lapsum Christianorum post Baptismum spectabat. Si enim Catechumeni peccassent, brevius, et levius ferebant. Hoc exemplo rescripsit Greg. IX., Ecclesiam, qua duntaxat benedicta est, tantum aqua exorcitata lavandam esse, si polluta fuerit; idque etiam per simplicem Presbyterum. *c. 10. de Consecr. Eccl. et ibi Interpr.*

74. Quantum ad reparationem Ecclesiarum antiquis Canonibus cautum fuit, quandam partem proventuum ecclesiasticorum in fabricam Ecclesiae reservandam esse. Inquit Synodus Aurelianensis I.: *De oblationibus, vel agris, quos Dominus Rex Ecclesias suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus, Deo sibi inspirante, contulerit, ipsorum agrorum, vel Clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, ut in reparacionibus Ecclesiarum, alimonii Sacerdotum, et pauperum refectione, vel redemptione captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit, expendatur, et Clerici in adjutorium ecclesiastici operis constringantur.*

Cap. 6.
De Repar.
Eccles.

Synod.
Aurel. I.
c. 15.

75. Haec pars plerumque quarta fuit. Ait S. Gregorius: *Mos est Apostolicae Sedis, ordinatis Episcopis praeceptum*

dare, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri portiones debeant; una videlicet Episcopo, et familiae eius propter hospitalitatem, et susceptionem, altera Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesis reparandis. Refert. c. 30. XII. q. 2.

76. In Hispania trientem restaurandis Ecclesiis assignare placuit. Juxta Decretum Concilii Tarragonensis: *Antiquae consuetudinis ordo servetur, et annuis vicibus Diaeceses ab Episcopo visitentur; et, si quae forte Basilica fuerit reperta destituta, ordinatione ejus reparari praecipiatur: quia tercia pars ex omnibus per antiquam traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus esse statutum.* Apud Gratianum. c. 10. X. q. 1.

77. Irruente bonorum ecclesiasticorum direptione peculiaribus fundis vel ex fundatione, vel ex oblatione collectis opus fuit ad sarta tecta Ecclesiae servanda, aliasque necessitates, et reparations ferendas.

78. Si et ubi hi fundi deficiunt, vel ferendis expensis impares sunt, tunc illi, qui decimas, vel reliquos ecclesiasticos redditus quocunque titulo possident, utpote beneficiarii, Patroni, Decimatores laici, ecclesiasticique in suppetias vocantur, quia decimae, reliqui que redditus non tantum sunt instituti

pro viētu ministrorum, aut propter pauperum alimoniam, aut ad sacrificiorum oblationem, sed etiam propter fabricae Ecclesiae constructionem, et reparacionem: transit ergo res ad Possessores quoscumque cum suo onere. c. I. de Eccles. aedific.

79. Statuit Synodus Romana sub Eugenio II. *destruetis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possident, reaedificantur; et si non sufficient, a populo adjuventur.*

Synod.
Rom.
c. 25.

Et Synodus Trullensis generaliter pronuntiat: *Ut Ecclesiae sarciantur, vel restaurentur ab iis, qui rebus earum utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum familia praebeatur adjutorium, per quod, si fieri potest, reaedificantur.*

Synod.
Trull.
P. 2. c. II.

80. Praecipit Concilium Tridentinum: *Episcopi — — Ecclesias Provinciales collapsas restaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodo cumque spectantibus. Quod si non fuerint sufficietes, omnes Patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt — ad predicta cogant.*

Trid. sess.
21. c. 7.

81. Jure Decretalium ergo et Beneficiati ad collationem fabricae adstringuntur, inspecta ipsa fructuum portione, quam ab Ecclesia percipiunt, quia aequum est, ut, qui lucrum sentit, onus

et sentia Rescripsit Alexandri III. :
De his Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad reparationem, et institutionem, Ecclesiarum cogi debent, cum opus fuerit, de bonis, quae sunt ipsius Ecclesiae, si eis ultra competentem portionem supersint, conferre. Refert. c. 4. de Eccl. aedif.

82. Reliqui Decimatores plerumque trientem, aut quadrantem ab fabricam Ecclesiae conferre tenentur, quia veteri jure tertia, aut quarta pars proventuum ecclesiasticorum solebat eedere fabricae. Synodus Audomarensis Anno 1279. inde statuit: *Ut Abbates, Priors, et aliae — Personae, quae percipiunt decimas majores in Parochialibus Ecclesias, compellantur ad restaurandam fabricam, libros, et ornamenta, pro rata, quam percipiunt in iisdem.*

83. In Gallia juxta regium edictum ea moderatione decimarum subsidium pro expensis fabricae praescribitur, ut per annos sex triens illarum contributioni subjiciatur, sive integrae decimae duorum annorum in restorationem Ecclesiae spatio sex annorum cedant: id est, singulis annis illis triens omnium decimarum. *Requirentes, ait, ut ad eum finem quolibet sexennio per eos aequaliter impedantur redditus duorum annorum, videlicet tertia annui redi-*

tus pars, in singulos sexennii annos adaequata.

84. Oportet autem hanc decimorum collationem intelligi deducto omni alio onere. *Defalcanda est canonica portio, quae Pastori ex decimis solvitur, similiaque onera, atque ex residuo tantum triens in Ecclesiae reparationem exigi potest. Proventus enim, bona, et fructus censentur ii, qui deductis oneribus supersunt. Et ita aliquando S. Congregationem respondisse refert Zypaeus.*

Zypae.
consult. 2a
de Eccl.
aedific.

85. Haec decimorum subsidia spectant ruinam Ecclesiarum Parochialium, ut pote earum, in quibus de jure Parochiali divinum officium celebrandum est. Quippe de jure communi decimae aliarum Ecclesiarum non sunt, quam Parochialium. *c. 29. de Decim.*

86. Enimvero, quod si nec Parochiani, nec Patroni Capellam reparare velint, aut ob paupertatem nequeant, ea juxta Tridentinum Decretum transferenda est, nisi illa Capella pro necessitate populi in subdium Parochialis Ecclesiae erecta fuerit. *Arg. c. 3. de Eccl. aedif.*

Trid.
supr.

87. Ait Concilium Tridentinum: *In illorum (Beneficiariorum, Patronorum, Decimotorumque) defectum Parochianos omnibus remediis oportunis ad praedicta restauranda aedificia Ecclesiae*

Ibi.

Parochialis cogant Episcopi, quacunque appellatione, exemptione, et contradictione remota. In praxi notum est, quod populus non soleat in nostris terris ad contributiones pro aedificandis Ecclesiis constringi sine consensu Judicis saecularis.

88. nostris moribus sat frequens est, quod per Concordata, aut alias conventiones populus ad reparationem navis Ecclesiae, reliqui ad refectionem cho-ri, utpote qui locus proprius est Cleri, conferre teneantur. Hac divisione et campanarum expensas ferunt Decimatores, Parochianique; qui enim jure praescriptum est, ut ad minus duae campanae sint Ecclesiae Parochiali Decimatores ad unius tantum campanae et necessariarum ad eam trabium reparacionem obligantur. A reparatione turris excusantur, quia, praecipue si elatior est, magis ad ornatum, quam ad necessitatem refertur.

Conc.
Metens.
c. 2.

89. Concilium Metense Anno 888. decernit, ut, qui decimas percipit, eas accipiat in sui sustentationem, et ad luminaria concinnanda — — vestimenta quoque sacerdotalia, et caetera utensilia; v. g. calices, et reliqua ornamenta, suo ministerio congrua pro qualitate, et facultate Ecclesiae obtinenda. Quippe dubium haud est, eas

expensa officium, et locum Chori spe-
ctare.

90. Reliquum est, quod, quamvis Canones praecipue Episcopis demandent curam reparandarum Ecclesiarum Parochialium, nihilominus ex consuetudine generali passim fere obtineat, hanc causam etiam coram Judice Laico, utpote vel in auditorio Principis, vel in Consiliis Provincialibus agi.

91. Veteri exemplo his exacti-
bus, et coactionibus, aut et conten-
tionibus nihil opus fuit. Sollicitudo
enim aedificandarum, reparandarumque
Ecclesiarum non onus, sed honos exi-
miae pietatis censebatur. Refert Euse-
bius: *Loca cuncta, quae tyrannorum
impietas ante subruerat, tanquam ex-
diuturna, et pestifera labe revivisce-
bant, templaque nostra a solo in im-
mensam altitudinem erigebantur, et
longe majore cultu, ac splendore,
quam illa, quae prius expugnata fue-
rant, nitescebant opera, et divitiis
Christianorum.*

92. Alibi recitat Auctor epistolam Constantini M. qua specialem curam extruendarum, reficiendarumque Ecclesiarum ex aerario publico commen-
dat Episcopis, et Clericis: *Quotquot,
ait, Ecclesiis aut ipse (Eusebius) praees,
aut alios in singulis locis praefiden-
tes Episcopos, et Presbyteros, et Dia-*

Cap. 7.
De reliq.
fund. ex-
pens.

Euseb. H.
E. 1. 10. 5.
2.

De vit.
Constant.
c. 41.

*conos nosti; cunctos admone, ut in
opera Ecclesiarum omni studio, et di-
ligenzia incumbant, quo aut reparen-
tur, quae adhuc manent, aut auge-
antur in majus, aut, sicubi usus po-
stulaverit, nova aedificantur. Quae-
cunque autem necessaria fuerint, ipse,
et reliqui alii tuo interventu tum a
Praesidibus Provinciarum petent, tum
ab officio Praefecturae Praetorianae.*

93. Recentiora edicta Principum ali-
cubi praecipiunt, ut non tantum pro-
ventus fabricae in reparationem Eccle-
siae fideliter impendantur, sed et ut in
augmentum fabricae proventum colli-
gantur, signantur in Ecclesiis rurali-
bus, eleemosynae fidelium, quas per
Parochos, et Concionatores commen-
dari sedulo oportet, fixo truncō, in
quem intrantium Ecclesiam, exeunti-
umque ab Ecclesia piae, et liberales obla-
tiones recipientur, quia ex his, aliisque
proventibus fabricae in unam massam
conjectis ordinarias reparaciones tum in
aedificium tum in ornamenta, et uten-
filia comparanda, restaurandaque, praefi-
sti oportet.

*94. Quid in reliquis argumentis Cano-
num ea occasione supereft, quam ut Clerus
munditiem sacrorum Vasorum, et caete-
rorum utensilium sibi commendatam no-
verit? Ait Innocentius III.: *Principimus*
quoque, ut Oratoria, vasa, Corporalia,

et vestimenta praedicta munda, et nitida conserventur: nimis enim videtur absurdum in Sacris sordes negligere, quae dedecent etiam in profanis. Refert. c. 2. de Cust. Euch. En Concilio Mediolanensis I. Decretum! Ornamenta, et instrumenta altarium pro celebrazione Missae pura, ac munda sint, praesertim Corporalia, ac purificatoria. Quamobrem etiam vino albo, ubi possit, tantummodo ad Missae sacrificium Sacerdotes utantur. Calices ex metalli genere jure permisso adhibentur, eoque pretiosiore, quantum per facultates licuerit. Juxta Conventus Melodunensis de Anno 1579. ordinem caveant Sacerdotes, et praecipue curati, ne sacra Vasa; ut calices, pixides, immo ne urceoli quidem, fontes baptismales, et vasa sacri Olei, nec sacerdotalia qualiacunque ornamenta sordibus scateant. Corporalia, mapiae, et alia linteamina, sacris usibus deputata, nitida, et munda sint, juxta Pauli praeceptum. Ex sententia Concilii Turonensis de Anno 1583. Observandum est, ut mensa Christi, id est, altare, ubi Corpus dominicum consecratur, ubi Sanguis ejus hauritur; ubi Sanctorum reliquiae redunduntur, ubi preces, et vota populi in conspectu Dei a Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honoretur, et

Conc.
Mediol.
p. 2.
Tit. 5.

Conc. Me-
lod. cap.
de Euch.

Conc. Tu-
ron. Tit.
de Euch.
et Miss.
sacrif.

*mundissimis linteis, et pallis diligenter
tissime cooperiatur.*

T I T V L V S XVII.

De Celebratione Festorum.

C A P V T I.

De Origine, et Divisione Festorum.

1. Nostris moribus sat vulgare est, quod nitor, et splendor SS. Ornamentorum, et utensilium occasione, et diversitate Festorum augeatur. Meminit S. Augustinus Festorum, quae fere ab Apostolica traditione ortum ducunt: *Illa autem, inquit, quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto terrarum orbe servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel a plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri; sicut, quod Domini Passio, et Resurrectio, et Ascensio in caelum, et adventus de caelo Spiritus sancti anniversaria solemnitate celebrantur.* Refert. c. 11. D. 12.

Thomass.
de Celebr.
Fest. l. I.
c. 4.

2. Ævo S. Augustini iam et festa SS. Martyrum celebrari consueverunt. Habet vetus usus, quod illa festa Martyrum, veluti particularia, nonnisi in locis Martyrii, vel illis Ecclesiis, quae eorum

eorum nomini dicatae erant, celebrari consuevissent, donec pededentim in universam Ecclesiam penetraissent.

3. Nativitas S. Joannis Baptistae Festivitatum Sanctorum praecipua est, quam Concilium Agathense inter Festa solemniora, ab universa Ecclesia recepta recenset, quia in Evangelio scriptum est. *Et multi in ejus Nativitate gaudebunt.*

4. Singulorum Apostolorum Festa se-
rius instituta fuere; primitus enim uno
communi Festo omnium memoria cele-
brari consuevit. In Decreto Gratiani
Concilium Lugdunense meminit festivi-
tatum duodecim Apostolorum, maxi-
me SS. Petri et Pauli, *qui mundum sua
praedictione illuminaverunt.* Refert.
c. i. D. 3. de Conf.

5. Meminit id Concilium et diversarum Festivitatum B. Virginis Mariae. Harum antiquissima est Annuntiatio, quae alibi et velut festivitas Domini, utpote Incarnatio divini verbi spectabatur. Meminit ejus Concilium Trullanum in Oriente, et Concilium Toletanum X. In Occidente. Veteri more Assumptio B. V. Dormitio vocabatur. Inquit Ca-
rolus M. de *Assumptione S. Mariae in-*
terrogandum relinquimus. Ludovicus Pius eam inter alias Festivitates recen-
set. Ævo S. Bernardi Festum et Nativi-
tatis constat fuisse receptum. In quibus-
s. Bern. ep. 174.

Capit.
lib. I.
158.

dam minoribus Ecclesiis Galliae coepit
eo aevō et Festum Conceptionis divi-
nae Virginis celebrari.

6. Ad exemplum Concilii Lugdunen-
sis et novo jure recensentur tum hae ,
tum aliae festivitates ecclesiasticae, quas
universales dicere posses. Aliae sunt
particulares Solemnitates, quas singuli
Episcopi cum Clero, et populo duxerint
solemniter celebrandas. c. 5. de Fer.

7. Aucto hac occasione numero fa-
crorum Festorum, corruptelis locus
fuit, pietatis fervore ob nimiam eorun-
dem multitudinem tepescente. Ait Ur-
banus VIII. *Quinimo et clamor paupe-
rum frequens ostendit ad nos eandem
multitudinem ob quotidiani victus la-
boribus suis comparandi necessitatem,
sibi valde damnosam conquerentium,
et, quod summopere dolendum est, ma-
gno cum animi dolore didicimus, tanta
saepe saepius malignatum inimicum in-
sancto, ut ipsa multitudine non ad ae-
dificationem, et ad laudandum in Ec-
clesia Deum populi utantur, sed ad
otia, vanitates, et vitia frequenter
abuti non formident, ita, ut, quae
ad glorificandum nomen divinum sunt
primitus instituta, temporis decursu
inimicus homo corruperit, et in ma-
gnam illius offenditionem, gravemque
jacturam converterit animarum.*

Nrban.
VIII.
Bull.
univ. per
orb. 164.
in Bull.
Rom.

8. Placuit ergo aliquando pleraque Festa reddere dimidiata, *ita ut factio Sacro*, post meridiem *cuique ad labores*, *aut negotia sua redire liceat*. In Oriente talia Festa jam pridem nota fuisse, indicat Constitutio Manuelis Comneni Imp. Recentius in Occidente consultissimum visum est Clementi XIV. ut ad instantiam Principum reliqua omnia, paucis exceptis, in totum pro populo expungeret.

Man.
Comm.
Const. de
Fer.

9. Supereft, quod et reliqui dies hebdomadae feriae dicantur, quia Christiano homini omnes dies festivi sunt. Ait S. Angustinus: *Spirituale Sabbathum obseruant illi, qui se ita temperate operibus terrenis accommodant, ut tam lectioni, quam orationi, et si non semper, recte per frequenter infstant — qui enim tales sunt, quotidie spirituale Sabbathum colunt*.

Cap. 2.
De ob-
serv. Fest.

S. Aug.
ep. 130.
c. 7.

10. Quis locus hinc est aliis feriis? Inquit Origenes: *Vulgus autem eorum, qui magis credentes videntur, quam sunt; qui vel non vult quotidie festum agere, opus habet, ut continetur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino delabatur ab officio*.

Orig.
contr.
Cels.
lib. 8.

11. En sententiam S. Chrysostomi! Neque enim temere, ait, et sine causa nobis haec tempora Patres observarunt: sed prudenti aliqua ratione ducti id egerunt, non ut libertatem no-

S. Chrys.
hom. 63.

stram temporum necessitati subjicerent; sed, dum se imbecilliorum subjicerent egestati, ad cognitionis opes illos proveherent.

12. Absit inde, quod tam pium institutum assequantur illi, qui diem Festum, audita quadam missa privata, maxime, et pene tota reliqua parte transfigunt in otio, lusu, aut alio vitio. Quid clarius? Hoc modo dies festus non sanctificatur, sed potius profanatur. Rescripsit Nicolaus I. *Idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut liberius ad Ecclesiam ire, Psalmis, et Hymnis, et Canticis spirituilibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad invitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat Christianus.*

13. Veteri more sat vulgare fuit, quod die festo populus ad omne divinum officium conveniret. Juxta Capitulare Theodulphi Aurelianensis Episcopi Dei Dominici, festivique, tanta debet esse observantia, ut praeter orationes, et Missarum solemnia, et ea, quae ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat. Conveniendum et Sabbato die cum luminalibus cuilibet Christiano ad Ecclesiam: conveniendum et ad Vigilias, sive ad matudinum officium: concur-

Nicol. I.
ad Consult.
Bulg.
c. II.

Theod.
Capit.
c. 24.

rendum est etiam cum oblationibus ad
Missarum solemnia.

14. Sic et Synodus Turonensis Anno 813. praecipit: *Die Dominica oportet omnes Christianos in laude Dei, et gratiarum actione usque ad vesperam perseverare.* Recitat Regino veterem visitationis formulam, quae Archipresbyteris, et Archidiaconis commendat, ut inquirant: *Si ad Matutinas, et ad Missam, et ad Vesperas his diebus omnes impraetermissे accurrant.*

15. Praevalentibus corruptelis Synodus Cameracensis Anno 1604. Parochis commendat, *ut abusus ille divino, et ecclesiastico praecepto contrarius semel tandem penitus aboleatur, quo se plerique existimant, probe suo functos officio, si Missa, etiam privata tantummodo, diebus dominicis, et festivis audit a reliquum diem profectioni, negotiationi, lusibus, choreis, potationibus, et aliis saecularibus, vel etiam illicitis actionibus impendant.* Quid salubrius? Parochi suis subditis frequenter inculcent ea, quae in Catechismo Romano ad tertium praeceptum Decalogi, et aliis auctoribus de recta dierum festorum observatione traduntur. Enimvero aliud est, diem sanctificare, aliud illo die, absoluta missa privata, otio vacare.

Synod.
Turon.
c. 40.

Regin. de
Eccl. di-
scipl. lib.
2. in in-
quis.

Synod.
Camer.
Tit 4.
c. 1.

Conc. 16. Decernit in Concilio Mediolanen-
Med. III. si III. S. Carolus, *ut imprimis festis*
Tit. I. *diebus SS. Missae sacrificio fideles o-*
mnes intersint. Ut vero ii dies omni-
pietate, et religiosius colantur; haec
crebro populum Parochi, et Concio-
natores admoneant, atque hortentur,
ut illorum dierum tempus, quod Deo,
eiusque cultui debetur, in iis actioni-
bus totum consumant, in quibus san-
cete consumendum est. Ut concionem
mane, et sacram Lectionem a pran-
dio, ubi explicari solet, audiant. Ut
divinis, vesperarum praesertim, offi-
ciiis praesentes pie, religioseque ad sint.
Ut in Christianae doctrinae rudimen-
tis, ac praceptis vel percipiendis, vel
recolendis versentur. Ut in operibus
etiam, officiisque pietatis sese exerce-
ant, aegros homines visitando, mo-
rientes pie consolando, et alia ejus-
modi praestando.

Cap. 3. 17. Juxta Catechismum Romanum
De Oper. divino pracepto sanctificandi Sabbatum,
servil.
vetit. *ad id primum instituimus, ut, quae-*
cunque cultum divinum impedire pos-
sunt, omnino (Christiani) vitemus.
Facile enim perspici potest, omne ser-
vilis operis genus prohiberi, non qui-
dem ea de re, quod natura sua, ve-
luti peccatum, aut turpe, aut malum
sit, sed quoniam mentem nostram a di-

Catech.
Rom.
P. 3. in
Expos.
III. praec.
Decal.

vino cultu, qui finis praecepti est, abstrahit.

18. Praecipit Constant. M.: *Omnes Judices, Urbanaeque plebes, et cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant. Ruri autem positi agrorum culturae libere, licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineae scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas caelesti provisione concessa.* Sabbatum enim est propter hominem, non homo propter Sabbatum: Ecce de feriatione ab operibus servilibus eo die primus edixit Constantinus: alii vero Imperatores id de Judiciis statuerunt.

L. 3. C. de Fer.

19. Hoc exemplo et Carol. M: Anno Capit. 787. in Capitulari Aquisgranensi edixit: lib. I.
c. 75. *Ut opera servilia diebus Dominicis non agantur, sicut et b. m. genitor meus in synodalibus Edictis mandavit, quod nec viri ruralia exerceant opera, id est, nec vineam colendo, nec in campis arando, nec in metendo, nec faenum secando, vel sepem ponendo, nec in sylvis stirpando, vel arbores caedere, vel in petris laborare, nec ad placita convenient, nec venationes exerceant. Sed tria carraria opera licet fieri die dominico, id est, hostilia carra, seu victualia, et, si forte necesse*

fuerit, corpus cuiuslibet duci ad se pulchrum. Item foeminae opera textilia non faciant, nec copulent vestitus, nec consuant, vel acupicibile faciant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec vervices tondere habeant licitum: ut omnimodis honor, et requies die dominico persolvatur. Sed ad Missarum solemnia ad Ecclesiam undique conveniunt, et laudent Deum pro omnibus bonis, quae nobis in illa die fecit.

20. Irruente disciplinae remissione S. Carolus in Concilio Mediolanensi III. monuit quemque suorum Episcoporum, ut tonsoribus praeterea, pistoribus, futoribus, calceariis, aliisque ejusmodi, et reliquis opificibus, quibus praescribi oportet, Episcopus certas regulas praescribat, ne deinceps diorum festorum cultum violent, in quo maxime peccare solent.

21. Circa Laniones multis locis et ille abusus invaluit. Synodus Buscodensis sub Masio vetat, ne subditi ulti operi servili, quod sine evidenti periculo differri potest, manum admoveant, uti panno laneo, vel lineo lavando, aut dealbando, aut tingendo, oves et boves maclando, aut saliendo.

22. Quid de Scriptura? Certe non excusantur Procuratores, Advocati, Notarii, aliorumque officiorum Ministri,

Synod.
Buscod.
Tit. 12.
c. 2.

qui cupiditatis, et avaritiae studio solitos labores diebus dominicis, et festis obeunt, ut fere sibi nihil temporis relinquant, quo Deum illis diebus singulari cultu prosequantur. Quis enim dicet, hos Scriptores in tanta mole saecularium negotiorum diem festum sanctificare. At multis argumentis excusat illustris Gersonius, qui libros pios gratis illis diebus justo moderamine conscribit. Absit enim, ut id genus laboris servile censemendum sit; sed in honorem Ecclesiae aliquando plus vergens, quam multiplicatio vocalis orationis, aut etiam insolens aliquando Missarum multiplicatio.

23. Quid de itinere? Juxta Decretum Theodulphi Episcopi Aurelianensis: *Si necessitas fuerit navigandi, aut itinerandi per longiorem viam, licentia datur; ita duntaxat, ut hac occasione Missae, et orationes non praetermittantur.*

24. Concilium Parisiense Ann. 829. Conc.
Paris. lib.
1. c. 50.
deplorabat, quod, utcunque dies dominica a quibusdam Patribus familias custodi videretur, a conservis, servitio eorum pressis, perraro debito honore coli inveniretur. Absit ergo, ut hodie excusari possit illi Domini, qui famulos, famulasque diebus dominicis ita ad servitia adigunt, ut iis vix tempus Missam audiendi indulgeatur. Quid tristius, quam

Gers. de
laud.
script.

quod inde hi homines tam passim circa fidei Mysteria, ac vitae christianaee normam rudes inveniantur.

LL. Ec-
cles. Dan.
c. 14.

25. Inter leges ecclesiasticas Canuti Regis Danorum legitur: *Herus, si ser-vo invito opus addixerit in quocun-que die festo, servo multator suo. Ser-vus deinceps liber esto. Quid his legi-bus politicis sanctius?*

Regin.
supr.
c. 416.

26. Refert Regino Decretum Conci-lii Rothomagensis, cuius tenore *admo-nere debent Sacerdotes proles sibi sub-ditas, (utpote Parochianos) ut bubul-cos, atque porcarios, vel alios Pasto-res, vel aratores, qui in agris assidue commorantur, vel in silvis, et ideo more pecudum vivunt, in Dominicis, et in aliis festis diebus saltem ad Mis-sam (cui veteri more et cohaesit concio Pastoralis) faciant, vel permittant ve-nire. Nam et hos Christus pretioso suo sanguine redemit, quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio ra-tionem se reddituros sciant.*

Capit.
lib. 6.
cap. 205.

27. Ex sententia Capitularium: *Et illo die, seu Sabbato ad Vespertas, et ad Matutinas, sive ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, o-mnes canendo, Kyrie eleison (id est, Lytaniae publicas) veniant, et eundo, et redeundo Kyrie eleison decantent. Similiter et Pastores pecorum eundo, et redeundo in campum, et ad domum*

faciant, ut omnes eos veraciter Christianos, et devotos esse cognoscant.

28. Synodus Namurcensis Ann. 1570. Synod.
Namur.
Tit. 9.
c. 5.
commendat Parochis, ut tempore mes-
sis, et etiam illis diebus, quibus opi-
liones, bubulci, vel subulci in agris
sunt, illos visitent ibidem, et doceant,
imitatur ea in parte vestigia Salva-
toris nostri, Jesu Christi, qui per vi-
cos, et plateas transibat evangelizare
regnum Dei.

29. Quoniam strepitus forensis prae- Cap. 4.
De Judic.
et Mer-
cat. vetit.
primis animos hominum a quiete, qua
Deum coli festis diebus oportet, ab-
strahit, judiciales actus quicunque con-
tentiosi vetantur illis temporibus. Si
enim ipsi Gentiles a suis feriis iurgia li-
tigiorum amovebant; *indignissimum vi-
debatur, diem solis veneratione sui
celebrem, altercantibus juriis, et no-
xiis partium contentionibus occupari.*
Refert lex Constantini L. 1. C. Th. de
Fer.

30. Supereft nostro codice lex Leo-
nis, et Anthemii Imp. eo tenore: *Dies
festos, altissimae Majestatis dedicatos,
nullis volumus voluptatibus occupari,
nec ullis exactionum vexationibus pro-
fanari; dominicum itaque diem ita
semper honorabilem decernimus, et
venerandum, ut a cunctis executioni-
bus excusetur: nulla quemquam ur-
geat admonitio: nulla fidejussionis flā-*

gitetur exactio: taceat apparitio: advocacia delitescat. Si ille dies a cognitionibus alienus: praeconis horrida vox filescat: respirent a controversis Litigantes, et habeant foederis intervallum: ad se simul veniant adversarii non timentes, subeat animos vicaria poenitudo: pacta conferant: transactiones loquantur. Ergo non tantum cognitio, sed et sententiae promulgatio, aut executio, testium juramentum, aut examen a die festo exulare debet. L. 11. C. de Fer.

31. Ait Theodosius Imp.: Ut die dominico emancipare, ac manumittere, veluti actus voluntariae jurisdictionis, liceat: reliquae causae, vel lites, ut pote actus contentiosae jurisdictionis, quiescant. — — Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur. Refert. L. 2. C. ibi.

32. Rescripsit Gregorius IX.: Quibus solemnibus feriis (nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat) usque a deo convenit ab hujusmodi abstinere, ut consentientibus etiam partibus, nec processus habitus obtentu prorogationis teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum, vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.

Quippe Feriae sacrae ad publicum Dei cultum pertinent. c. 5. de Fer.

33. Novo jure sub nomine Concilii apud Compendium praecipitur: *Ut omnes dies Dominici obseruentur, et in eis mercatus, minime fiat, neque placitum (utpote judicium): neque aliquis ad mortem, vel ad poenam judicetur, nec Sacra menta (nisi pro pace, vel alia necessitate) praestentur.* Quid clarius? Mercatus aequa, ac judicialis processus a sacris feriis arcetur, quia utroque homines a divino cultu abstrahuntur. Interpretes tamen eam inter hunc, et illum differentiam assignant, quod judicium ipso jure his feriis sit nullum: mercatus autem illis diebus, licet illicitus seclusa consuetudine, subsistere censeatur. c. 1. de Fer. et ibi Interp.

34. Hac occasione recentiora Decreta tum Ecclesiae, tum Reipublicae pa sim ordinant, ut nundinae, aliique mercatus in diem vulgarem transferantur. Ait Synodus Cameracensis: *Similiter Regiae Majestati supplicetur pro edicto contra aurigas, nautas, et similes, ne dominicis, et aliis diebus festis merces vehere possint; utque etiam subhaftationes — et multo magis mercatus, auctiones publicae tempore Missae, et vesperarum sub gravi poena prohibeantur: Nundinae etiam annuae, et forum rerum venalium heb-*

Synod.
Camer. P.
II. Tit. 4.
c. 2.

domadarium, cum in diem festum incidunt, in alium transferantur ab Episcopo cum consilio Magistratum.

35. Auctis corruptelis reliquum est, ut tum Pastores, tum Magistratus observantiae horum, aliorumque civilium, ecclesiasticorumque Decretorum invigilent, poenas a transgressoribus exacturi, ne alias profanationis festorum et ipsi participes efficiantur.

Cap. 5. De
spedt. et
chor.
vetit.

S. Aug. in
Ps. 91.

36. In tanto genere profanationum nihil magis religionem sacrarum Feriarum prostituit, quam frequentia spectaculorum, chorearum, et popinarum.

Ait S. Augustinus: *Ecce et hodierna dies Sabbati est: Hunc in praesenti tempore otio quodam corporeo, lanquido, et fluxo, et luxurioso celebrant Iudei; vacant enim ad nugas. Et, cum Deus praeceperit Sabbathum: illi in his, quae Deus prohibet, exercent Sabbathum. Vacatio nostra a malis operibus, vacatio illorum a bonis operibus est. Melius enim est arare quam saltare. Illi ab opere bono vacant: ab opere nugatorio non vacant.*

37. Ne ergo Christiani, vacando ab opere servili, aliisque functionibus civilibus, more Judaico diffuerent, deliciis sensualibus inhiaturi, admodum consultum fuit, ut illa negotia sacris Feriis vetarentur peculiarius, quae populum sensuali aliqua voluptate ad cu-

riositatem, aliaque reliqua vitia possent impellere. Hac occasione statuit Theodosius Imp.: *Nullus Solis* (id est Dominico) die populo spectacula praebeat, nec divinam venerationem confecta solemnitate confundat. Refert.
L. 2. C. Th. de Spectac.

38. Quum eo aevo quidam praeterderent, nonnisi die Dominico vetita esse spectacula; alii censerent, et eo die liberum esse Judaeis, et Gentilibus spectacula exhibere nonnulli excusarent spectacula, si dies natalis Imperatoris in diem Dominicum incidisset: Theodosius eos omnes obtentus missos fecit.

L. ult. C. Th. ibi.

39. In censura Ecclesiae spectacula nullo die, nullo obtentu excusantur. Ait Lactantius: *Vitanda ergo spectacula omnia, non solum, ne quid vitorum pectoribus insideat, quae sedata, et pacifica esse debent, sed ne cuius nos voluptatis consuetudo deliniat, et a Deo, atque a bonis operibus avertat.*

Lactant.
De div.
Inst. L. 6.
c. 20.

40. Hinc S. Carolus inter publicorum peccatorum illecebras, quas homines, depravatae consuetudinis errore decepti, pro nihilo putant, recenset sui temporis spectacula, quae, ait, ab Ethnicorum moribus originem ducunt, disciplinaeque Christianae inexcusabiliter adversantur. Inde juxta monitum S. Ca-

s. Carol.
in act.
Ecc. Mediol.
p. 400.

roli: *Haec Concionator reprehendet — perpetuo detestabitur, execrabitur demonstrabit incommoda, publicasque aerumnas inde in Christianum populum dimanare.* In quam sententiam valde populum confirmabit argumentis, quae gravissimi viri, *Tertullianus, Cyprianus M., Salvianus, et Chrysostomus* afferunt. Apage, ut nostra theatra quibuscunque cautelis excusare auferis.

41. Si choreas, saltationes, et tripudia, quae hodie, praecipue ruri inter personas utriusque sexus instituuntur, observemus, apparebit, his apprime quadrare, quae in spectacula, choreasque suo tempore dixerat Patres, quia nunquam vacant proximis periculis, gravibusque vitiis. Ait S. Chrysostomus: *Multa hac nostra aetate celebrantur convivia, multae choreae, et saltationes homicidae peraguntur: in quibus non jam SS. Praecursor interficitur, sed ipsa Iesu Christi membra immaniori quodam modo, saevitiaque jugulantur.* Non asportatur in disco caput in saltationis pretium, sed astantiam plerique omnes foedis, beluinisque voluptatibus turpissime mancipantur: dum scilicet irretiuntur criminosis cupiditatibus, non abscisso cervicibus capite, sed anima a Christo Domino revulsa crudelius necatur.

S. Chrys.
hom. 48.
in Math.

42. Quid funestius? *His* *juxta S. Carol.*
rolum tot offendionum, et peccatorum
seminariis locum dari, iis praesertim
diebus fideles plerosque nefariis istis
blanditiis Satanae illectos, a divinis
officiis, religiosis supplicationibus,
lectionibus sacris abduci, avertique
rudes a percipiendis fidei rudimen-
tis; aliosque ab aliis Christianae pie-
tatis officiis, in quae eo tempore
religiose incumbendum est, abstrahi, et
amoveri, hoc certe gravissimum est in
conspictu Dei, et Ecclesiae.

43. Recentioribus his corruptelis uberrimum sinum expandunt frequentiores in nostris terris popinae. Ait Anno 1589. Synodus Tornacensis: *Et cum intelligamus in quibusdam Parochiis, praesertim diebus dominicis, et festis, puellas, et viduas, vel etiam conjugatas sine suis maritis deduci ad tabernas, et popinas, vel publica diversoria, et illic cum juvenibus, aut viris potitare, magno cum pudicitiae suae periculo; praecipimus Pastoribus, et concionatoribus illorum locorum, ut acriter hortentur Parochianos suos, et Parochianas, ne deinceps tale quid faciant, aut fieri permittant. Et infra: Idemque ne tabernarii, vel Caupones illud domi suae fieri patientur.*

in Con.
Mediol.
III. Tit. I.
de Chor.

Synod.
Tornac.
Tit. 4.
c. II.

44. Geliscentibus corruptelis occurserunt ecclesiastica, regiaque Decreta.

Synod.
Antverp.
Tit. 13.
c. 2.

Inquit. Anno 1610. Synodus Antverpiensis: *Volumus contra illos transgressores sine dissimulatione procedi, juxta Ecclesiae praecepta, Serenissimorum Principum nostrorum edicta, Praedecessorumque nostrorum ordinationes* — — *Potissimum diligenter observetur, ne Dominis, et festis diebus, eo tempore, quo divinum officium fit, aut verbum Dei praedicatur, tabernae, vel hospitia ulla aliis quam viatoribus, pateant. Utinam et nostris saeculis, et nostris terris tam salubris Decreti usus vigeret.*

Epist.
Pastor.

45. Hoc exemplo Archiepiscopus Mechliniensis, Anno 1675. inter reliqua constituit, ut omnes, et singuli Pastores dictos publicos inobedientes habeant tanquam publicos peccatores — — et ad Sacra menta non admittant. Et Archipresbyteris in fine mandat, ut in visitationibus circa excessus istos, et Vesperarum, ac Catechismi omissions diligenter inquirant. Quid salubrius observantia horum Decretorum? Quippe compertum est, neglecta executione illarum Legum succrevisse passim illam Festorum dierum profanationem, ut ex sententia S. Antonini omnium lachrymis deflenda sit Christianorum caecitas, quod gravius Deum offendant diebus festis, divino cultui dedicatis,

S. Antonin. P. 2.
Tit. 9. c.
7. §. 5.

quam tota hebdomada ad vitam parandam
instituta.

46. Missis vitiis, et petulantiiis, qui-
bus toties inexcusabiliter profanatur re-
ligio sacrarum Feriarum, reliquus est
locus justarum excusationum, aut dispen-
sationum, ut die festivo laborare liceat.
Quippe frequens est exemplum Christi,
quod hypocrysin, et superstitionem a
cultu Sabbati abesse oporteat, quia *sab-
batum propter hominem factum est, et
non homo propter Sabbathum.*

Cap. 6.
De caus.
Dispens.
ab otio
ferial.

47. Praecipit Synodus Laodicena :
*Quod non oportet Christianos judai-
fare, et in Sabbatho otiori sed eo die
operari; praeferentes autem in ve-
nerationem dominicum diem, SIMO-
DO POSSINT a labore cessare, ut Chri-
stiani hoc faciant.* Reflectit in eam clau-
sulam Balsamon, et Zonaras, propter
inopiam, vel aliam necessitatem etiam
die dominico operandi, et laborandi li-
bertatem Christiano supereesse.

Marc.e. 2.
v. 27. Sy-
nod.
Laod.
c. 29.

48. Subdit Zonaras: *Illis namque,*
*quia forte operibus primo quoquo tem-
pore obeundis alium diem pariter ac-
commodatum nancisci non facile ita
fuerit, dominico quoque die operam
navandi facultas concessa est.* His ra-
tionibus agricolas ab otio feriali diserte
excusavit Constantinus M. L. 3. c. de Fer.

49. Recentiores Principes Orientis,
Occidentisque et agricolas ad observan-

tiam sacri otii adstrinxerunt, quia tanta
necessitas non semper occurrit. Inquit
Nov. Leo sapiens: *Neque agricolae, neque*
Leon. *quipiam alii in illo illicitum opus ag-*
grediuntur. Si enim, qui umbram quan-
dam, atque figuram observabant, tan-
topere Sabbati diem venerabantur, ut
ab omni prorsus opere servili abstine-
rent: quomodo, qui gratiae lucem,
ipsamque veritatem colunt, eos hunc
diem, qui a Domino honore ditatus
est, nosque ab exitii dedecore liberavit,
non venerari par est? Supereft tamen
et earum legum justa cautio, ut necel-
fitas a lege excuset.

50. Novo jure rescripsit Alexander
III.: *Quod cum regio vestra non mul-*
tum frugibus abundet, mire, in quo
populus majorem consuevit habere su-
stentationem, sterilius solito effectum
fuisse, multorum relationibus cognos-
entes, beati Petri auctoritate, et Pauli,
et nostra indulgemus, ut liceat Paro-
chianis vestris diebus dominicis, et aliis
festis (praeterquam in majoribus anni
solemnitatibus) si alecia terrae si incli-
naverint, eorum captioni ingruente
necessitate intendere. Refer. c. 3. de Fer.

51. Distinxit merito Pontifex inter
Festa vulgaria, et inter solemnitates
majores anni, quia et necessitatum dif-
ferentia est. Oportet enim majorem esse
necessitatis casum, ut et in solemniori-

bus festivitatibus anni pro labore Christiani dispensentur. *ibi.*

52. Nicolaus V. a Transylvanis consultus, an pauperibus, villanis, ac oppidanis licitum sit vendere die dominico, vel quodam festo panes, leguminas, pyra, poma; vel sit licitum eis, finita Missa post prandium de campo tempore messis, cum timetur de pluvia, portare cum decoribus, vel equis, et curribus linum, foenum, et alia blada, humano usui necessaria? Respondit: *Dicendum est, quod necessitate cessante abstinendum est dominicis diebus, et festis ab omni opere servili: sed necessitate cogente, non tamen affectata, seu procurata, licitum est, praemissa exercere.* Refert Odoricus Raynaldus.

53. *Enimvero ne praetextu necessitatis passim Feriae sacrae pro eujusque libitu, et affectu, prout necessitatem fingere placeret, violarentur, merito hujusmodi necessitatis determinatio non cujuslibet privati arbitrio, sed Superiorum judicio commissa est, ut hi necessitate, aut utilitate perpensa, explicitent, justam causam esse die feriato laborandi.* Ait Synodus Cameracensis II.: *Cujus cognitio ad Decanum Christianitatis vel eo absente, aut nimis procul degente, ad Pastorem loci spectabit.*

Raynald.
ad Anno
1447. n.
28.

Synod.
Camer.
Tit. 4.
c. 2.

Edict.
Philipp.
art. 7.

54. Inde haec cognitio potius declarationem, quam dispensationem spectat. Edictum Philippi II. ad hanc Synodum praecipit, diebus festis a praedictis exercitiis abstineri, *nisi ob necessitatem DECLARANDAM per Officiarium, et Magistratum loci, de advisamento Decani Christianitatis, aut in ejus absentia Pastoris loci;* utpote judicium civilis judicis ad remissionem mulctae, arbitriumque Pastoris ad excusationem censurae ex suo genere suffragatur. Ideoque, si ex sententia Magistratus, necessitas notabilis videatur, haud convenit, ut Decanus, vel Parochus eo casu licentiam moretur.

55. Ex his quae de celebratione festorum hactenus dicta sunt, recte concluditur, eorum observationem duabus absolvi partibus; prima, quae privativa dicitur, in quiete, et remissione operis servilis consistit; altera, quae positiva est, sanctificationem hujus sacri Otii, id est, religiosum Dei cultum spectat.

*56. Quid reliquum est, quam, quod Pastores populo, ad reparandam Festorum observantiam saepe religionis praestantiam commendent? Ait S. Justinus: *Religione nihil potius, aut praestabilius.* Juxta Clementem Alexandrinum est bonum, quo generi hominum nullum a Deo datum est praestantius. Ex

S. Justin.
cohort. ad
Gent.
Clem. A-
lex. ad-
monit. ad
Gent.

sententia Lactantii: *Haec est religio caelestis, non, quae constat ex rebus corruptis, sed quae virtutibus animi. Hic verus est cultus, in quo mens colentis seipsum Deo victimam immaculatam sifit.* Quid brevius sententia S. Augustini? *Religionis, inquit, summa est imitari eum, quem colis.*

Lactant.
Div. Inst.
lib. 6. c. 2.

S. Aug.
de Civ.
Dei. lib. 8.
c. 17.


CONSPECTUS.

II. PARTIS.

DE SACRAMENTIS.

	Pag.
<i>Titulus I. de Sacramentis.</i>	1
<i>Titulus II. de Baptismo.</i>	17
<i>Titulus III. de Sacramento Confirmationis.</i>	37
<i>Titulus IV. de Sacramento Eucharistiae.</i>	47
<i>Titulus V. de celebratione Missarum.</i>	65
<i>Titulus VI. de Sacramento Poenitentiae.</i>	98
<i>Titulus VII. de Indulgentiis.</i>	133
<i>Titulus VIII. de Sacramento extremae Unctionis.</i>	151
<i>Titulus IX. de Sacramento Ordinis.</i>	165
<i>Titulus X. de diversis causis Irregularitatum.</i>	193
<i>Titulus XI. de Seminariis Clericorum.</i>	227
<i>Titulus XII. de Sacramento Matrimonii.</i>	244
<i>Titulus XIII. de Impedimentis matrimonii.</i>	269
<i>Titulus XIV. de Dispensationibus matrimonialibus.</i>	308
<i>Titulus XV. de Divortiis, et secundis Nuptiis.</i>	333
<i>Titulus XVI. de Ecclesiis.</i>	347
<i>Titulus XVII. de celebratione festorum.</i>	384





10

